

# VENTRIS

## FLUXUS MULTIPLEX

*EX ANTIQUIS ET RECENTIORUM MONUMENTIS PROPOSITUS*

A

N. LAMBSMA

*Phil. & Med. D.*

9578

INST. ...
Biblioteca Centra
Inv. Nr. 8930.

AMSTELÆDAMI

*Apud JOHANNEM SCHREUDER & PETRUM MORTIER Juniorem.*

MDCCLVI.

1756 02 JUL. 2004

*AMICO SUO*

# JACOBO HOVIO

S. P. D.

NICOLAUS LAMBSMA.

*EGo, cum principibus viris placuiſſe haud ultima laus ſit, toties mihi venas, ſupra modum, tumere ſentio, quoties animum ſubit ingens illud beneficiorum pondus, quo me fere oppreſſerunt, & Artis ſalutaris Profeſſores, Ouwenius, atque Camperus, quos ſerior nobis invidebit ætas, & optimus quiſque medentium, maximeque Tu, amiciſſime Hovi, quem eo ſolo nomine compellari voluiſſe, bene memini. Adulari neſcius, rigida Friſiorum de gente natus, lubens tuis votis obſequar, & quantum Tibi, in hoc opello, (quod ex tuis theſauris, te duce, con-*

*ſectum eſt) quantum tuis meritis, debeo, ſemper tacita, ſed grata mente recondam; neque unquam lucidum illud tempus, quo contemplationem medicinæ, patria in ſchola, edoctus, ipſos ægros, ægrorumque curam viſendi cauſa, maximam Reipublicæ urbem, novus hoſpes, tuis præcipue ſub auſpiciis, pervagabar, e memoria evelli ſinam, quæcunque etiam mihi ſors in poſterum erit; cui parva rura, & tenuem ſpiritum Parca non mendax dedit, & malignum ſpernere vulgus. Vale.*

*Dabam Harlingæ.*

PRÆ-

# PRÆFATIO.

UT omnem rerum naturæ notitiam, ſic rationalem quidem Medicinam eſſe debere; inſtrui vero, ab evidentibus cauſis; obſcuris omnibus, non a cogitatione Artificis, ſed ab ipſa arte rejectis, inter ſapientiæ profeſſores æque, ac inter ipſos medicos convenit. Igitur, cum multum artis in obſervatione experimentorum ſit, ea, quæ diligentes homines, per omnia ſæcula, notarunt, ordine propoſuiſſe, non inutile erit; ut, ſi jam incidit horum genus aliquod, protinus videri poſſit, cui rei id proximum ſit; tentarique remedia queant, ſimilia illis, quæ vicino malo ſæpe ſuccurrerunt, & per ejus ſimilitudinem, opem reperiri. Ex quibus quam maxime ad ſanitatem pertinere dejectio videtur, huic potiſſimum inſiſtendum credidi, &, quæ experientia ſummos viros docuit,

 ex-

exponere adgreſſus ſum. Quod, ſi id vel minimum ſolaminis unico ægro, vel tantillum voluptatis bono medico adſeret, omne oleum, & operam non mihi perdidiſſe videbor; maxime, cum ipſe materiem hanc difficilem digerendo, (quæ quaſnam vires deſideret, vix quiſquam, niſi expertus, novit) utilitatem haud contemnendam acceperim. Illud autem facile percipiet lector, me, more magni medici Meadii, non ſenſa tantum, ſed & ipſiſſima verba Celſi, ut res tulit, imitando exprimere voluiſſe, quod utinam ſane facere, mihi ſæpius licuiſſet. Loca vero ejus, atque effata Hippocratis & Boerhaavii, quæ in medentium memoria inſculpta eſſe ſuppono, infra paginas, non citavi: reliqua ſedulus attuli, plerumque ex editionibus vulgatiſſimis, ſed e Charterii Hippocratem & Galenum; editione tamen Mackii, quouſque in lucem prodiit, uſus fui.

# ELENCHUS CAPITUM

CAPUT PRIMUM pag. 1

*Quomodo venter in ſecunda valetudine excernat.*

CAPUT II. 59

*Qualia cita alvus in quoque morbi genere reddat.*

CAPUT III. 65

*De ventris fluxu mucoſo.*

CAPUT IV. 67

*De ventris fluxu aquoſo.*

CAPUT V. 76

*De dejectionibus glutinoſis.*

CAPUT VI. 77

*De bilis profuſione.*

CAPUT VII. 83

*De puris profluvio.*

CAPUT VIII. 103

*De ventris fluxu ſanioſo.*

CAPUT IX. 104

*De ſanguine per alvum reddito.*

CAPUT X. 114

*De hæmorrhoidibus.*

CAPUT XI. 133

*De varii generis calculis alvo redditis.*

CAPUT XII. 141

*De hydatidibus.*

CA-

CAPUT XIII. 144

*De alienigenis.*

CAPUT XIV. 148

*Quando venter fuſus febricitantibus conveniat.*

CAPUT XV. 200

*De cauſa proxima ventris fluxus.*

CAPUT XVI. 226

*De cauſis magis remotis.*

CAPUT. XVII. 231

*Quid a dejectionibus venturum ſit.*

CAPUT. XVIII. 244

*Quomodo varia alvi profluvia curari debeant.*

CAPUT. XIX. 274

*De teneſmo.*

# VENTRIS FLUXUS MULTIPLEX.

## CAPUT PRIMUM.

*Quomodo venter in ſecunda valetudine excernat.*

VEntris fluxus eſt, ubi & liquida alvus & ſæpius quam ex conſuetudine fertur. Is ponit cognitam expulſionem moderatam, cujus habita ratione ſolito profuſior eſt. Si à medicamentis petitur, *purgationis* nomine venit.

Semper autem fibræ, quæ ſtomachum, ventriculum, & inteſtina ſuccingunt, cibos humoresque, undecunque huc confluant, ad inferiora pellere nituntur. Ideoque partes has cavos muſculos nominarunt.

Proprie tamen hic contextus, cum ex fibris non carneis, ſed albicantibus conſtet, neque in muſculos colligatur, in eorum numero non poni poſſe videtur. Melius igitur tunica Muſculoſa vel carnea audit, ſi quidem ex fibris conflata eſt, quarum u-

nita coacervatione muſculus omnis proprie dictus fit. Fibræ vero fila quædam tenuia ſunt, eademque mollia, ſequaciſque lentitiæ, &, quoad ſenſibus poſſunt cognoſci, ſimplicia, inter ſeque in aliis atque aliis partibus diverſa, modo partibus quibusdam intertexta, modo alia aliis variatim adnexa, atque implicita. Hæ, cum in membranarum ſpeciem poſitæ ſint, vel in muſculos parteſve muſculoſas collectæ, ſicut omnis muſculus, motus animalis inſtrumenta ſunt. Neque color albicans, quo gaudent, repugnat. Muſculi enim rubedo a cruore, quo eloto pallet, moles a tumidis arteriis, venis, cellis oleoſis, atque lymphaticis vaſis quam maxime pendet; quod illo experimento ſcitur, quo tamdiu tepida in arterias ejus, ut e venis effluat, adigitur, ipſeque ſimul extrinſecus manibus leniter & alterne comprimitur, laxaturque, donec humores inquilini eloti eſſe appareant: eo enim multum extenuatur. (*a*) Neque arteriæ (quarum tamen decurſum inter fibras quoque inteſtinorum obſervarunt anatomici (*b*)) proximam contractionis cauſam faciunt, (*c*). Muſculis non rubris inſecta, in quibus oculo non apparet caro, motus exercent.

Morbi quoque evincunt, fibras has muſculorum officio fungi. Interdum reſolutio, interdum rigor, quæ propria muſculorum vitia ſunt, eas infeſtat.

Non-

(*a*) Boerh. Inſt. 400. B. S. Albin. Hiſt. Muſc. l. 1. c. 1. 2. (*b*) Ruyſch. th. 1. No. XI. not. 3. Catal. rar. thec. A. repos. 111. No. XXI. B. S. Albin Acad. Annot. l. 3. c. 11. (*c*) Id. Hiſtor. Muſc. l. 1. c. 3.

Nonnunquam gula dimidia reſolvitur, dextra parte, vel ſiniſtra (*a*). Nonnunquam tota reſoluta eſt, quod interdum per ſe, interdum ex morbo aliquo fit, ut in attonitis. Communia ſunt: æger non cibum devorare, non potionem poteſt, quin tuſſis atque ſtrangulationis periculum adſit; nam ſi quis intra os liquidum cibum infundat, in arteriam ſubterlabitur, quum neque tonſillæ ad impulſum ciborum concidant, neque Epiglotis in proprium locum ſubſidat, quæ arteriæ operculum a natura facta eſt. (*b*) Vulgatiſſimum quoque ſtomachi vitium eſt reſolutio; (*c*) Idque certe fibrarum ejus conſtrictionem deſiderat (*d*). Sæpe ventriculus, ubi gulones nimium ſe replerunt, omne robur amittit, & poſtea, cibis elapſis, quaſi reſolvitur, haud aliter ac veſica, ſi ob involuntariam præ verecundia retentionem in coetibus hominum, aut in conviviis repleta diſtendatur, conſtringere non valens, nihil amplius excernit (*e*); & ubi per fiſtulam humor evocatus eſt, manet ſæpe diu moleſtiſſimum urinæ ſtillicidium, ſi reſolutus ſimul ſphincter ejus collum ſtringere non valet (*f*). Ergo male tepida, qua laxitatem augent, ſtomachum heſternis vitiis onuſtum eluere tentant; potius ſi ex crapula caput doleat, vini meraci heminam bibat (*g*). Etiam in inteſtinis calidum quandoque re-

(*a*) Aretæus de morb. diut. l. 1. c. 7. (*b*) Id. de morb. acut. l. 1. c. 4. (*c*) Celſ. l. 4. c. 5 (*d*). Mead. Monit. Med. p. 109. (*e*) Aretæus de morb. acut. l. 2. c. 10. de morb. diut. l 1. c 9. (*f*) v. Swieten comm. t. 2. p. 134. t. 3. p. 367. (*g*) Hipp. epid. l. 2. Charter. t. IX. p. 192.

refrigeratum eſt, ut neque concoctionem, neque digeſtionem moliatur: ſed præ imbecillitate retinere non poteſt, omnemque elaborationem alimentum ſubterfugit. (*a*) Sæpe imbecillis, otioſis, & virginibus, quibus aquoſus albo corpore languor, venter parum reddit, ſed contrahentibus movetur, aucta fibrarum vi. Siquidem certæ quædam res ſunt quæ in pluribus ventrem aut adſtringunt, aut reſolvunt. Inveniuntur tamen, in quibus aliter atque in cæteris idem eveniat. Quidam inflationibus vexatus, quoties vomitum reprimentibus ſupprimeret, toties in alvi profluvium incidit. (*b*) Ferunt etiam nonnumquam mala cydonia, quæ ante paſtum adſtringunt, ſumto cibo alvum ducere. (*c*) Pari modo attonitis veſica & laxum inteſtinum inter ſe proxima, interdum ad excernendum debilitantur, reſolvuntur, recrementorumque ſemper plena reperiuntur. Veſica vero & in maximam molem intumeſcit. Interdum autem ita reſolvuntur, ut purgamenta retinere nequeant. Per ipſa enim tanquam inanima ſupervacua delabuntur. (*d*) Aretæus propterea ſtomachum etiam, & inteſtina & veſicam, oblongumque inteſtinum uſque ad principium idem vitium pati exiſtimavit: ſed interiora membra reſoluta latere, obſcuraque eſſe; imperfectas vero eſſe ac dimidiatas eorum functiones. (*e*)

Ri-

(*a*) Aretæus de morb. diut. l. 2. c. 10. (*b*) Wedel. amoen. m. m. l. 2. ſ. 2. c. 1. (*c*) Rega meth. med. part. 3. c. 5. (*d*) Aretæus de cur. morb. ac. l. 1. c. 4. (*e*) de morb. diut. l. 1. c. 7.

Rigor autem ea æque occupare conſuevit. Nam modo in morbo, quem hypochondriacum & hyſtericum appellant, conſtrictores (*a*) pharyngem contrahunt, quando retento & calefacto aere dilatatur, idemque ſenſus oritur, ac ſi offa deglutienda gulæ inhæreret; modo ſingultus oritur, fitque inflatio, & ventris murmura oberrant; quæ quidem mala, ſpiritu per ſuperiora vel inferiora cum ſono prorumpente, haud raro ſolvuntur, ſoluto nimirum rigore. (*b*) Et qui comitiali morbo concidunt, ubi ad mali remiſſionem perveniunt, tunc ſponte urinam reddunt, alvus fluit, nonnullis etiam, adſtrictis compreſſisque vaſculis genitura excernitur. (*c*) Itemque ſæpe a metu urina & venter profluit; quoſdam, ſi quid inproviſi aut ingrati accidit, mox murmura cum flatibus prehendunt (*d*); quidam, cum ſanguinis detractionem horrent, protinus ligato vulnuſculo, ſellas patroclianas quæſierunt. Haud raro, qui in periculoſa neceſſitate deprehenſi male ſibi metuunt, ad ſellas ire coguntur, & prohibiti in caligas dejiciunt. Id cum de principe quodam dubitaret legatus, ingentem militum manum vicinas terras occupaſſe jamque urbi imminere, ex improviſo inter fercula referens Morio nativam ipſius puſillanimitatem, alvo in caligas effuſa, vel odore prodidit. Sæpe militibus quoque metus, utut artificio & conſuetudine occultatus, in alvum erumpit, & dejectiones vomituſque molitur.

(*a*) B. S. Albin. hiſt. muſc. l. 1. c. 54. 55. 56. (*b*) Sydenh. proceſſ. integr. p. 570. (*c*) Aret. de acut. morb. l. 1. c. 5. (*d*) Pechlin. l. 3. obſ. 17.

litur. Sed ne hi quidem interdum, qui & arte & facundia inſignes ſunt, opus adgredi poſſunt, antequam ſolutus aliquoties venter partem metus aut conceptum intus pudorem, inter flatuum murmura detraxit (*a*). Legati canum, ut viderunt vultum magni Jovis, totam timentes concacarunt regiam. (*b*)

Nervo diſciſſo, rupto, vel compreſſo, protinus muſculi reſolvuntur, ad quos pertinet: (*c*) virtus ſe contrahendi muſculo redit, ſimulatque in integrum idem nervus reſtituitur. (*d*) Quo quidem experimento palam fieri crediderunt, cauſam proximam contractionis per nervos accedere. In eo igitur e fibris contextum ventriculi & inteſtinorum involucrum a vero muſculo differt, quod hæ partes a morte & a reliquo corpore ſeparatæ pergant moveri (*e*); Quare de his idem forte verum, quod de corde dixit Galenus: Thorace exemtum diu moveri videtur, igitur nervis ad ſuam functionem non indiget, quare muſculus non dici meretur, ſed actio nativa viſceri exiſtit, & hujus viſceris ſubſtantiæ ineſt (*f*). Et alibi: Cor ſibimet ipſi agitationis origo (*g*). Conjicere fortaſſe poſſumus,

(*a*) Ib. obſ. 18. (*b*) Phædr. l. 4. fab. 17. (*c*) Galen. de Hipp. & Plat. plac. l. 2. c. 4. Charter. t. V. p. 95. 96. de motu muſc. l. 1. c. 1. t. V. p. 365. 366. de nervor. diſſect. c. 1. Charter. t. IV. p. 241. Galeno aſcript. liber de mot. manif. c. 1. Charter. t. V. p. 397. (*d*) Galen. de anatom. adm. l. 8. c. 4. Charter. t. 4. p. 173. 174. de locis affect. l. 1. c. 6. t. 7. p. 395. Morgagn. epiſt. anat. XIII. §. 33. 34. 35. (*e*) ac. R. Sc. 1699. Wepfer. hiſt. cicut. aq. c. 8. Haller. act. Gott. t. 2. p. 147. (*f*) de anat. admin. l. 7. c. 8. t. 4. p. 155. (*g*) de Hipp. placit. l. 6. c. 3. t. 5. p. 187. B. S. Albin. acad. annot. l. 2. p. 71.

mus, quadam ſe naturæ vi adſtringere, rurſuſque relaxare. In ſitu autem, & nexu harum fibrarum diſſenſio eſt. In lacertoſo tenues, atque albicantes adeo ſibi invicem intricantur, ut evidentem fibræ decurſum vix proſequi quiſpiam poſſit, & quamvis fibræ muſculi veri, qui in diſtincta extrema abit, ſe in longum extendant; ſi quis tamen accuratius eas examinet, videbit, quod variis modis deflexæ, creberrime ſe ſubducant, aliæque ſe aliis flexuoſe immiſceant, rurſuſque aliæ emergant, multæ etiam cum vicinis ita conjungantur, ut difficile dictu ſit, utrum confluant in unum, an tantummodo arctiſſime cohæreant. (*a*) Ad earum quidem reptatus inveſtigandos partes elixas ſcrutati ſunt (*b*) ſed fibræ, cum elixantur, indureſcunt & comprimuntur; ergo ſimul materies celluloſa, quæ fibras nectit, obdurata premitur. (*c*) Neque ex homine eam partem ſumſiſſe videntur, quem errorem Williſio objicit Verheyen (*d*) ac ne iſte quidem quicquam de hac fabrica ſcripſit, quod non ante a Falloppio traditum fuit. Fibræ autem tunicæ carneæ quam maxime inhærere videntur, ab interiore parte rotundæ, ab exteriore longitudinales. Utriuſque generis vetuſtus ſcriptor Galenus meminit. (*e*)

Sic tunica muſculoſa, quæ ſtomachi membranam

(*a*) B. S. Albin. hiſt. muſc. l. 1. c. 1. (*b*) Fallopp. obſ. anat. op. t. 1. p. 93. 94. Willis pharm. rat. ſ. 1. c. 2. p. 7. (*c*) B. S. Albin. hiſt. muſcul. l. 1. c. 2. (*d*) anatom. p. 202. (*e*) de anatom. adm. l. 6. c. 7. t. IV. p. 140. de uſu part. l. 4. c. 8. t. IV. p. 375. ib. c. 17. p. 390.

nam contegit, ex plurimis circulis conſtat, ita tamen, ut ex parte exteriore fibræ, juxta longitudinem poſitæ non æqua, per omnem viam, ſerie decurrant. (*a*) Cingunt vero pharyngem, qui ſtomachi principium eſt, conſtrictores inferior, medius, ſuperior, ambeunt eum, qua latus, quaque vertebras colli ſpectat, alius ſupra alium. (*b*) Atque is, cum depulſum & quaſi detruſum cibum accepit, depellit: primum autem conſtrictor pharyngis ſuperior partem, quam ambit, premit, conſtringit; dein medius, poſt quem ſe contrahit inferior, ex quo ſpecies quædam ſuctionis oritur, quam etiam, digito in imas fauces demiſſo, percipimus (*c*). Cum vero deglutiendum depulſum eſt in ſtomachum, nixus deglutionis ceſſat, relaxant ſe omnia & reſtituunt (*d*). Stomachus autem naturaliter adſtrictior, dilatatur ab eo, quod impellitur deglutitione; ipſius autem partes eae, quæ ſunt infra id, quod devoratur, dilatantur: quæ autem ſupra, contrahuntur (*e*) eoque deglutiendum paulatim ad ventriculum, cum quo ſtomachus committitur, depellunt, quod animadvertere poſſumus in cygno bibente, bove ruminante: percipimus in nobiſmet ipſis, cum calida aut frigida, aut acria deglutimus. (*f*) Ad eam vero depulſionem vi quadam opus eſſe, majora quævis, aut duriora, quæ de

(*a*) Ruyſch. th. 3. no. 77. th. 2. no. 14. not. 3. Santorin. obſ. an. c. VII. §. 19. 20. Morgagn. ep. an. XI. §. 50. 51. 52. (*b*) B. S. Albin. hiſt. muſc. l. 2. c. 11. (*c*) B. S. Albin. hiſt. muſc. l. 3. c. 54. 55. 56. F. B. Albin. diſſ. de deglutit. §. 17. (*d*) B. S. Albin. hiſt. muſc. l. 3. c. 58. (*e*) Cic. nat. Deor. l. 2. c. 54. (*f*) F. B. Albin. diſſ. de deglutit. §. 20.

deglutiuntur, oſtendunt: ut quæ difficulter demittuntur, & in itinere ſenſum quaſi doloris excitant. Non pauci oſſa fructuum valde magna, ſæpe plurima devorant: quidam annulum aureum, quem ore tenebat, imprudens deglutivit: alter vero nummum; alius aliud durum quoddam, & quod confici non poteſt; attamen hi omnes excreverunt ea, quæ devoraverant, nullo illis ſuperveniente ſymptomate. (*a*) Præter hæc etiam evincitur cibum potionemque pondere non deſcendere. Galenus Eraſiſtratum hoc ſolum de deglutitione recte dixiſſe monet, multa eorum animalium, quibus longum collum eſt, inclinato corpore deglutire (*b*). Sunt quoque homines, qui, inclinato corpore & collo, commode degluciunt: ſunt, qui vertice ſuo nitentes, erecto in altum trunco pedibuſque, degluciunt, tum eſculenta, tum potulenta. (*c*) Tunc ſola vis ſtomachi, quamvis pondus obſtet, ea propellit. Nonnulli, quibus gula reſoluta fuit, experientia comprobarunt, cibum uſque ad gulæ principium deglutitum non potuiſſe ulterius deſcendere, ideoque cibum in itinere ſibi detineri conquerebantur. (*d*) Addi poteſt, ſtomachum tranſverſo ſepto, ubi per carnem ejus in abdomen penetrat, mox ſupra ventriculum, contrahi: quam anguſtiam aſſumta pondere vix ſuperabunt: in eo quo-

(*a*) Galen. de natural. fac. l. 3. c. 4. Charter. t. V. p. 58. academ. de chirurg. t. 2. p. 444. (*b*) de natural. facult. l. 3. c. 8. T. V. p. 65. (*c*) F. B. Albini diſſ. de deglutit. §. 21. (*d*) H. Fabric. de gula. c. de action. v. Swieten. comm. t. 2. p. 702.

quoque ſupra ſeptum motum vidit Hallerus, quo bolus ſurſum deorſumque agebatur, additque, quod irritatione laceſſitus ſe contrahat. (*a*)

Hactenus ea ſtomachi actio exponitur, quæ ipſi maxime propria & naturalis eſt, ac contractione pellis musculoſæ deglutita ad ventriculum fert. Nunc alios, quos exercere valet, motus videamus. In ſingultu fibræ, quæ juxta ſtomachi longitudinem discurrunt, contrahuntur, quo ipſo ventriculum, ſequente etiam ſepto, & gulam ad ſe invicem adducunt, mox vero ſeptum agitur deorſum, ſicque ſingultus reſtituitur. Hinc in ipſo nixu ſingultus, dolor ad orificium ventriculi ſiniſtrum, & ſimul incommodi quid circa fauces ſentitur, dum præcordia & ilia trahuntur introrſum & ſurſum. Hunc affectum Sylvius, quia a multis pro lubitu excitari poteſt, transverſo ſepto ſolum tribuit, eumque voluntarium vocat (*b*). Sed a quolibet excitari nequit, & plures toto die ex Epicuri nepotulis videre licet, qui quoties volunt, per os & alvum flatus emittere poſſunt. Illa tamen actio nunquam ad voluntatis motus refertur. (*c*)

Vomitus vero fit, ubi fibræ musculares faucium, ſtomachi, & ventriculi motu retrogrado valido convelluntur; ubi leviter, potius in animalibus ruminatio eſt, ſive lenis contentorum ventriculi expulſio; in homine illa dicta exprobratio, qua pars quædam ex cibi receptaculo, absque nauſea, in fauces adſcendit. Ventriculus enim, ubi animal ru-

(*a*) Act. Gotting. t. 2. p. 146. (*b*) prax. l. 1. c. 23. (*c*) miſc. n. c. d. 2. a. 4. p. 297.

ruminat, cibum acceptum in ſtomachum repellit, cujus partes, quæ ſunt infra id, quod repulſum eſt, contrahuntur, quæ autem ſupra, dilatantur, donec aſſumtum in os revolvatur &, ſi vera ruminatio eſt, cibus non modo in os refundi ſed remanſus iterum deglutiri conſuevit. Quidam homines partem eorum, quæ in ventriculo hærent, pro lubitu in fauces regurgitare poſſunt, quidam etiam vere ruminant (*a*). Reperiuntur quibus vomendi conſuetudo in naturam abiit: hi alimentum etiam pro lubitu e ventriculo in os revocant, iterumque deglutiunt (*b*). Talis fuit bibo ille Melitenſis, quem vidit Th. Bartholinus: hic epotos 20 vel 30 aquæ Cyathos, pro lubitu ſpectantium, celeriter revomuit, & inſtar ſalientis ex ore fontis modo ſingulos cyathos ordine replevit, modo univerſam aquam ad pedes 20 & amplius rejecit, paſſim & alii hoc artificium imitati ſunt; alii fumum tabaci copioſe deglutitum pro voluntate pleno impetu ex ore rejiciunt. (*c*) Tantum valet conſuetudo ſola.

Stomachus autem, poſtquam per foramen, quod ejus cauſa in carne ſepti transverſi paratum eſt, in abdomen tranſiit, dilatatur, & in ventriculum abit, quo oſtium intus oritur, cui καρδία nomen eſt. Ipſi vero non inſeritur, neque cum eo committitur, ſed vera continuatione membranarum, in ventriculum ſe explicat, qui cibi & potionis

(*a*) Peyer de ruminant: l. 1. c. 6. l. 3. c. 3. J. Rhod. obſ. cent. 2. 59. Salmuth. cent. 1. obſ. 100. (*b*) Peyer. ib. l. 3. c. 3. (*c*) hiſt. anat. cent. 1. hiſt. 39.

tionis receptaculum eſt. Hunc, atque inteſtina antiqui ex duabus membranis conſtare credebant, quarum exterior carnis aemula eſt. (*a*) Tergora Celſus vocat. Nonnunquam torminoſi oblongum quiddam in pluribus non diſcretum, inſtar ſani inteſtini dejiciunt: & ignaris rei ſuspicionem præbuit inteſtini. At negotium ſub Aretæo ita ſe habet: Inteſtinorum tunicæ perinde ac ventriculi geminæ ſunt, & altera alteri oblique ſuperinjecta eſt. Igitur quum earum connexio diſſolvitur, interior tunica, ſecundum longitudinem abſiſtens, foras egreditur: exterior ſola intus remanet, & carnoſa efficitur, & cicatrice ſolidatur: ſanescuntque homines, & noxa ſoluti vivunt. (*b*) Galenus multos, quibus a torminibus maxima pars inteſtinorum adeo vitiata erat, ut in pluribus locis tunica omnis interior eſſet exeſa, ſe ſæpe vidiſſe teſtatur, eosque tamen ſuperſtites vixiſſe: id ipſi fieri non poſſe videbatur, niſi ſecunda quædam alia tunica extrinſecus corruptæ acceſſiſſet. (*c*)

Pellis autem musculoſa ventriculi, ab interiore parte, ſtomachi modo, conſtat ex circulis plurimis fibrarum: ab exteriore rectæ, ſimiles rectis ſtomachi, per ejus longitudinem feruntur; aliis etiam diverſo ſitu & ordine per has discurrentibus: Ideoque textura hæc admodum contorta explicatu difficilis eſt, & forte varia in variis hominibus. Poſitus vero eſt ſupra, inter utrumque ejus oſtium, in-

(*a*) Galen. de anat. admin. l. 6. c. 7. Chart. t. 4. p. 140. de uſu part. l. 4. c. 8. t. 4. p. 375. (*b*) de morb. diut. l. 2. c. 9. (*c*) de uſu part. l. 4. c. 17. t. 4. p. 391.

inſignis fibrarum faſciculus. Omnes ſimul pellem albam conſtituunt, tenuem, muſcularem, non tantum laminæ contiguæ inſtar, media celluloſa connexæ, ſed & ſibi invicem quaſi implicitæ. (*a*),

Si quis jejunus ſubita præſertem morte perit, ventriculus ita in rugas contractus, ut inteſtinum minus perito facile videretur, apparet. (*b*) Ergo ſi cibos non concoquat, primum quiete & inedia labores remittat, oportet. Ita enim eo vires recurrunt. (*c*) Sanus etiam, cibo & potione diſtentus, ſemper ſe contrahere nititur, & ſive ſit ingeſti copia parca, ſive major, contenta undique tam arcte comprehendit, ut iis uniri, & adhærere diceres; æque ac uterus foetum complectitur. Id ſexcenties Galenus diviſa membrana, quæ περιτόναιος nominatur, in animali vivo vidit (*d*). & Walæus, qui centenos, & plures, vivos canes, vario poſt cibum tempore, hanc ob cauſam ſecuit, ſemper obſervavit, ventriculum undique cibum quem recipit, etiamſi duarum tantum unciarum, eſſet, eodem fere modo includere, quo plicatæ crumenæ globulum tenent. (*e*) Non vero cauſæ, qua diſtenditur, vehementer reſiſtit, neque vi æquabili cavum per omnem ambitum coarctat, ſed contractione muſculoſa, quae per ſectiones

(*a*) Conf. Fallop. obſ. anat. op. t. 1. p. 94. Willis pharm. rat. ſ. 1. c. 2. Verbeyen anat. p. 55. Heiſter. anat. §. 209. Wepfer. hiſt. cicut. aq. c. 8. Winslow. tr. du Bas-ventre §. 56 61. Haller. phyſ. §. 623, Santorin. obſ. an. c. 9. §. 6. (*b*) Santorin. ib. (*c*) Aret. de curat. morb. diut. l. 1. c. 7. (*d*) de natural. fac. l. 3. c. 4. t. 5. p. 57-59. (*e*) epiſt. de motu chyli.

nes fit, mox adſtringitur, mox relaxatur: eaque, a principio ventriculi incepta, motu quaſi undoſo verſus portam inferiorem progreditur, quod vivorum animalium corpora inciſa demonſtrant. (*a*) Sublata cute, illum in minoribus, quibus ſeptum & levis membrana, quam περιτόναιον nominari diximus, pellucet, hora diutius quam ipſa inteſtina reciproce moveri, nuperrime Hallerus, ſe vidiſſe, memoriæ prodidit. (*b*) Eſt etiam apud alium, & in canibus diſſectis motus tam ordinatos ventriculo ac inteſtinis eſſe, atque non ſolum juncturam, quam πυλωρὸν Græci vocant, & quæ in canibus protinus cum ſepto in conſpectum venit, infra imam ejus partem oſcillari, ſed mediam quoque conſtrictione reciproca cibos deorſum propellere. (*c*).

Igitur ventriculus omne quod, accepit, cogit & confundit: at id, quod nimis aridum eſt, non exacte commiſceri, vomitus poſt menſam docet: ſolidusque cibus in vivorum canum ventriculo eundem, quo ſumitur, ordinem, niſi potus ingeſti fluctuatione permutetur, ſervat (*d*). Quod autem receptum eſt, ut mutari & concoqui facile poſſit, ab eo per aliquod tempus continetur, ſolidum longius, liquidum minus; probat uſus aquarum mineralium. Octo bibones intra duas horas hauſerunt cereviſiæ tenuioris, quæ urinam movet, octoginta & ultra lagenas vel menſuras (*e*). Sed cibus, qui in ventrriculo retinetur, potu, ſaliva, & ejus li-

(*a*) Wepfer. hiſt. cicut. aq. c. 8. (*b*) act. Goctiog. t. 2. p. 146. 147. (*c*) philoſ. tranſ. no. 243. (*d*) Walæus l. c. (*e*) Lieberkuhn diſſ. de villis inteſt. p. 28.

liquore permadeſcit, mox mollis & rarus evadit, dein diſcerpitur, & dividitur, tandem tenius cremoris hordei ſimilis evadit; & tum demum ad inteſtina protruditur. Multum vero intereſt, quodnam genus ciborum ſumtum fuerit: quidam difficulter coquuntur; quidam facile vitiantur; breviori mora commutatio peragitur in pauco & facili cibo bene maſticato; longius tempus expoſcit craſſus, magna copia, fruſtis magnis deglutitus. (*a*) Situ autem & figura ventriculus, quod accepit, retinet: nam ima ejus pars paulum in dexteriorem partem converſa, in ſummum inteſtinum coarctatur; hanc juncturam πυλωρὸν Græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes ea, quæ excreturi ſumus, emittit. Nihil quipe magnum vel durum, quodve non in ſuccum mutatum ſit, vel incoctum tranſire poteſt: ſed velut janitor quidam juſtus hæc anguſtia nulli facile ad inferiora, antequam coctum eſt & confectum, tranſitum concedit. (*b*) Locum, ubi duodenum incipit, ſtrictiorem eſſe, & intus per os ventriculi coarctari, promptum eſt exploratu, ſi modo in animali vivo, facto in vicinia foramine, digitus minimus immittitur. Potius tamen is, quoniam levi preſſione ventriculi chylum tranſmittit, concidiſſe, quam conſtringi videtur (*c*). Ipſius anguſtiam quoque auget membrana intus pendula, prima ſillarum, quæ in inteſtinis juga dicuntur: ac ſic quidam porta adeo clau-

(*a*) Walæus ib. (*b*) Galen. de uſu part. l. 4. c. 7. Chart. t. 4. p. 375. (*c*) Euſtach. t. 10. f. 3. Walæus epiſt. cit.

clauditur, ut nihil præter humidum & læve tranſeat. Attamen Galenus jam, oſſa fructuum magna, annulum aureum, nummum, aliave duriora deglutita, absque incommodo alvo exiiſſe animadvertit. Et quondam apud Anglos moris erat, adverſus obſtructiones & ad ventriculi inflationes, colive dolores, calculos devorare. Juvenis Londini quotidie plures capillos ſine noxa deglutiit: plurimi ſanitatis gratia eadem conſuetudine uſi ſunt. Lapilli figura ovali ſed compreſſa ad magnitudinem gutturis aptabantur (*a*). Interdum tamen aſſumta hæc ventriculo immorantur (*b*) interdum hanc anguſtiam claudunt. (*c*)

In plerisque anatomicorum tabulis ventriculus, utroque oſtio æquus fere poſitus conſpicitur, cum lævo dextrum multo inferius ſubſidat, ut in ſuis notat Euſtachius (*d*). Quamobrem veteres bina hæc orificia in ſuperius & inferius diſtinxerunt. (*e*) Atque duodenum porta, cum qua committitur, duobus aut tribus digitis ſuperius eſt ac ſuperincumbit, ſupraque eam attollitur, unde in homine erecto, aſſumta, ubi ventriculo exeunt, coguntur adſcendere. Deinde id inteſtinum, ubi parum aſſurgit, recurvatum in ima dirigitur, & quaſi circumvolvitur: qua obicem iis, quæ excreturus eſt ventriculus, ponit: ſed, ſi is plenus eſt, fundum anteriori parti abdominis obvertit, illamque com-

(*a*) Gliſſon. de ventric. & inteſt. c. 24. §. 10. (*b*) id. ib. miſc. n. c. d. 1. a. 3. p. 179. d. 2. a. 9. p. 47. (*c*) Kerkring. obſ. an. 1. (*d*) tab. 10. fig. 1. 3. (*e*) Winslow tr. du bas-ventre §. 47. Martini comm. in Euſtach. p. 53.

complicationem cum duodeno minuit, ſitu mutato. Docent id experimenta in cadavere, confirmat tumor qui juxta hanc regionem ſentitur, in macilentis laute paſtis.

Igitur cibos per quoddam tempus in ventriculo morari, ſenſim ea, quæ coċta & confeċta ſunt, expelli, manifeſtum eſt.

At imbecillus ingeſta haud undique compleċtens, ſpatium, quo locum mutent, relinquit, diutius quoque ea tenet, fluċtuationemque cum ſonitu movet, premitur, & aggravatur. Contra in validis panis & carnis etiam magna copia facile deſcendit. Ac ne his quidem ſolum ſcitur, alimenta diutius in laxo ventriculo contineri, ſed & vomitu. interdum quidem homo ſanus, qui & bene valet & jejunus eſt, humores ſpiſſos, ſalſos aut amaros eruċtat. at qui ægrius concoquunt, quidquid in cæna aſſumitur, id ſæpe vomitu matutino inconfeċtum reddunt; quidam vero, non poſt tres quatuorve horas, ſed jam media noċte, ubi multum temporis a cibo interceſſit, omnia prorſus, quæ ſumſerunt, evomunt. (*a*) Tantum abeſt, quod imbecillis cibi e ventriculo citius exeant. Robuſtus vero miles, cui ex vulnere coli in latere ſiniſtro anus quidam ſed patulus erat, carnis & panis modicum cum pauca cereviſia fortiori in alvo retineri horas novem decemve, nec niſi mutata excerni, Albino confeſſus eſt; fruċtus, qui horæi vocantur, legumina, olera, & id genus her-

(*a*) Galen. de natural. facult. l. 3. c. 4. t. v. p. 57, 58.

herbas recentes in alvo vix horas duas remanere & niſi molliora ſunt, ut fructuum pulpa, fere integra excerni, plerumque ne colore quidem perdito; nec permiſceri cum reliquis excrementis; quo plus butyri vel pinguis additum iis inter coquendum fuerit, eo diutius ab alvo retineri, ſæpe totos dies tres; ſi cereviſiæ nimium biberat, aliove alvum potu repleverat, intumeſcere elapſa inteſtina & ſordeſcere multumque flatus ac liquidi cum excrementis ſummam partem emittere; ſumtos autem aliquot cereviſiæ cyathos, ſi nihil illo die comederat, poſt horam effluere (*a*).

Si vero id morbi genus eſt, quo oſtium ſuperius & inferius rigore contrahitur, aer & quicquid inflare conſuevit ventriculum expandit: quod præcordiorum tumor, & anxietas ſequitur. Stomachi dicitur inflatio. Id malum hyſtericos, hypochondriacos, otioſos ſæpius afficit, atque largum ſequitur uſum eorum quæ inflant (*b*). Solutis vinculis, preſſus aer, velut agmine facto, qua datâ porta ruit; ſi ſuperius oſtium laxatur, ructu exploditur, ſi inferius per inteſtina ſe diſpergit. Quidam hanc materiam alterna preſſione abdominis expellunt. Experimenta in animalibus vivis capta rem omnem evincunt. Cum a croco metallorum canis jejunus vomere coepiſſet, abdomine inciſo, vidit Wepferus ventriculum ex vulnere nondum ſatis amplo prorumpentem flatibus diſtentiſſimum eſſe, & utrumque oſtium arctiſſime clauſum flatus tam-

(*a*) Acad. Annot. l. 2. c. 8. (*b*) Celſ. l. 2. c. 26.

tamquam carcere continere: ſimulac vero ventriculus manibus fortiter premeretur, flatus per ſtomachum & gulam ceu ructus emiſit; itemque, etiamſi aliquoties adhibebatur preſſio, vehementer denuo fuit impletus & diſtentus (*a*). Alteri, vero, cui ſcrupulus dimidius Mercurii ſublimati datus fuerat, abdomine ad ſiniſtram aperto, mox etiam prorupit ventriculus perquam inflatus, ſpiritumque preſſione per os eliſit, quo expulſo mox iterum diſtentus erat (*b*). Similiter ex eſu cicutæ aquaticæ ſpiritui & ingeſtis exitus intercluditur, tumor in præcordiis fit, oſtiis conſtrictis (*c*).

Etiam vomitionis actum canis vivus ſectus oſtendit. Namque primo porta inferior, mox inde ad ſuperiorem ventriculus ex toto ſe contraxit, tandem ſtomachus coarctatus materiem effudit. (*d*) Wepferus quoque nudatis omnibus imi ventris viſceribus, ventriculum catelli,, cui magiſterii jalappæ ſcrupulum dimidium dederat, in media parte aliquoties ſe contraxiſſe vidit, & dein, ubi inteſtinis ad latus remotis lacteum canalem prope renem ſuccenturiatum intueretur, multum muci ſpumei cum grumis evomuiſſe, licet ſeptum ad ſtomachum usque diviſum eſſet, tantummodo in dextro latere integrum (*e*). Atque in alio cane, ſive is ſua ſponte a croco metallorum, ſive ventriculi irritatione vomituriebat, motus a duodeno orſus, cum ad infimam & mediam ventriculi partem progrede-

(*a*) Hiſt. Cic. aq. c 20. hiſt. 1. (*b*) Ib. c. 22. (*c*) Ib. c. 8. (*d*) Ol. Rudbeck obſ. anat. 20. (*e*) l. c. c. 15. Hiſt. 1.

deretur, vomitum produxit. (*a*) Quidam ad ſupplicium ductus de nauſea conqueſtus in ipſo capitis amputati momento vomens erectus adhuc ex collo truncato non ſolum ſanguinem copioſum, ſed & quicquid in ſtomacho continebatur, in altum magno impetu evomuit, quod vidit Platerus (*b*). Ex his autem non colligi poteſt, omnem ventriculum, ut interdum vomitu fit, propria contractione poſſe evacuari: ejus fibræ valde quidem contractiles, ſed tamen omne, quod intus eſt, expellere non valent. Itaque externa preſſio, qua intra prælum quaſi turgetur, accedat, neceſſe eſt, ſive valida convulſio ſepti tranſverſi atque muſculorum abdominalium, quæ ventriculum in vomitu exprimit. Hincque alius uſus multiplex vomendi intelligitur: in ipſo quippe vomitu abdomen conſtringitur, quæ id continet, premuntur, atque alterno hoc concuſſu vomitus in morbis vel utilis vel noxius deprehenditur: medicamenta quoque, quæ ejus cauſa aſſumuntur, hoc ſolum nomine vel proſunt vel nocent. De uſu navigandi ſcripſit Plinius: neque enim Ægyptus propter ſe petitur, ſed propter longinquitatem navigandi, quin & vomitiones ipſæ inſtabili volutatione commotæ plurimis morbis medentur, omnibusque, propter quæ elleborus bibitur. (*c*) Qui mox vomiturus eſt, ipſo momento, quo ſeptum deorſum agitur, circa præcordia dolorem ſentit, isque, vomitu peracto, qu-

(*a*) Ib. c. 20. Hiſt. 1. (*b*) Obſ. l. 3. p. 803. (*c*) l. 31. c. 6. Hipp. aph 4 14.

quieſcit. Neque ventriculi vehementem contractionem eſſe experientia docet. In cane illo, cui mercurius ſublimatus exhibitus fuit, lentiſſima erat; calida per gulam in ventriculum ſubinde injecta ſemper quidem cum muco & ſpuma rediit; ipſe tamen ventriculus non multum contrahi, ſed ſeptum valide, ac ſi cum muſculis abdominalibus vomitum promoveret, ſuccuti videbatur. (*a*) Et quo tempore, alterius, qui crocum metallorum ſumſerat, ventriculus ſe adſtrinxit, ſeptum vomitum quaſi adjuvit, forti quadam ſuccuſſione, eaque breviſſimis intervallis repetita. (*b*) Neque van Swieten vivi canis ventriculum apice cultelli, poſtquam abdomen apertum erat, irritando, vomitum, ſed convulſionem fecit, etiamſi fortiſſime contractus ad ſextam, quam tenere poteſt, partem minueretur. (*c*) Fereque, puto, patet; ventriculi fibris convulſis, leviorem vomitum excitari, validum vero & qui omne ejicit, ſimul requirere ſepti & muſculorum abdominalium convulſionem. Vomitus, ſi quando neceſſarius, per voluntatem excitari nequit, hunc autem penna in gulam demiſſa excitat. Alvo etiam ex toto ſuppreſſæ, cum neque ſpiritu retento neque ſummo voluntatis nixu ſolvitur, lotionibus ſuccurri poſſe notisſimum eſt. Interdum quoque, quamvis horum muſculorum actio maxime neceſſaria ſit, inteſtina & veſica per ſe exinaniuntur. Sublatis in cane vivo abdominis muſculis, inteſtinum rectum ſe exoneravit

(*a*) Wepfer. Ib. (*b*) Ib (*c*) Comm. t. 2. p. 253.

ravit & veſica, ut tandem vix nuce juglande major eſſet, omnem urinam expulit. (*a*) Eſtque male tranſverſi ſepti & muſculorum abdominalium ſola contractio vomitus cauſa nonnullis authoribus. Neque enim, ubi fæx dura vel & fœtus expellitur, violentiſſima convulſio vomitum movet: neque is funambulos, bajulos, & qui maximis laboribus inſudant, exercet; hi autem, quoties munere ſuo funguntur, quo plurimum ſpiritus admittant, toties, depreſſo & contracto ſepto, pectoris cavitatem augent, ſimul etiam ſummum ventrem ſtringunt.

Ventriculus, qui medius inter ſtomachum & inteſtina interjacet, in ſummum inteſtinum coarctatur: ideoque id ſimili fabrica conſtat: & fibræ, quæ inteſtinorum tunicæ carnoſæ inhærent, majori ex parte tranſverſæ ſunt: his veluti velum quoddam integrum, ex fibris rectis textum, inſidet, atque ambo ſtomachi modo juncta ſunt, ut unam quaſi tunicam efforment. Hoc, quod ex plurimis rectis fibris, ſi anatomicis credimus, conſtat, ſpiſſum eſt, ſed tenuiſſimum, ob quam tenui tatem pars hæc a ſubjecta vix diſtinguitur, & pro una tunica exteriori ſumi poteſt, quam nervoſa membrana peritonæi contegit. Fibræ vero annulares firmæ, denſæ, craſſitie & copia longitudinales ſuperant, & juxta ſe invicem arcte apponuntur. Eæ inteſtinum cingunt, non vero ex integris circulis

(*a*) Wepfer ib. c. 20. hiſt. 1. 2. Haller. act. Gott. t. 2. p. 147. 142.

culis compoſitæ ſunt: nam pars nullo ordine media via ſe ſubducit, pars vicinis fibris innectitur: hinc adeo intertextæ ſunt, ut decurſus per totum ambitum inteſtini obſervari nequeat. (*a*) Ob hæc forte fibras ſpirales ad ipſam inteſtinorum imam regionem, helicis inſtar, propagari crediderunt; ut tota muſcularis tunica, unus modo eſſet concavus heliceles muſculus (*b*). Et duce, alii, Williſio, inſeri fibras meſenterio tanquam tendini, volunt. (*c*) Sed proximæ his, ſub meſenterii fimbria, fibræ longitudinales junguntur, & inter lamellas meſenterii poſita membrana celluloſa eſt, quæ in millenos loculos diviſa, flatu vel aqua detegitur, quæ in homine ſano modo collapſa modo repleta eſt, adipoſae, quæ cuti ſubeſt, ſimilis, & in morbis interdum aere diſtenta. Igitur, cum ejus lamellæ media celluloſa connexæ, ubi inteſtina attingunt, ſecedunt, ipſumque conſcendunt, intervallum autem celluloſa laxa, denſa, in obeſis pingui referta, complet, fibræ laminis, quibus inteſtinum cingitur, inhærere nequeunt, nec celluloſa laxa ſtabile punctum dare poteſt. Forte nervi & vaſa, quæ ex meſenterio ad inteſtina decurrunt, ſententiæ Williſii anſam dedere: hæc enim, ubi ſanguine privantur, neque injecta cera turgent, col-

(*a*) Vid. Fallopp. obſ. anat. oper. t. 1. p. 98. C. B. Albin. ſpec anat. de inteſt. ten. § 6 7 Helvet ac Reg. ſc. 1721. Winslow trait. du bas ventre. § 94-96. Monro eſſ. Edinb. vol. 4. art. 12. (*b*) Cole de motu inteſt. periſtalt. vid. Morgagn. adv. an. 3. anim. 3. (*c*) Pharm. rat. ſ. 1. c. 2.

collapſa incauto imponunt. (*a*) Deinde fibræ, quas longitudinales eſſe modo poſui, tenues, decuſſando extimam ſuperficiem annularium ambiunt, cui quoque innexæ ſunt: non enim continuo quaſi filo per totum inteſtinum ducuntur, ſed poſtquam paululum ſpatii confecere, mox ad interiora velut inflexæ abſorbentur, progreſſu etiam ulteriori evaneſcente, & rurſus aliis quaſi in ipſo loco emergentibus: Ideoque modo, quo muſculi recti abdominis in partes dividuntur, interruptæ adparent, neque a ſe invicem ſeparari poſſunt: poſitæ vero ſunt ſuper contrariam meſenterio ſedem, latitudinis digiti tranſverſi, vel pollicis, & firmiter, non intercedente celluloſa, communi tunicæ cohærent, quæ iis tendinum loco eſſe videtur: ſic ſaltem quibuſdam viſum eſt. (*b*) Alii rectarum fibrarum ſitum & nexum, modo plane ab hoc diverſo, proponunt. Hallerus in locis a regione annexi meſenterii eas quidem crebriores vidit, exteriori quoque tunicæ inſertas, at præter has in reliquo ambitu ſubtiliores dixit eſſe & breviores, easque interruptas. (*c*) Verum Monro fibras longitudinales clarius & diſtinctius, ubi membranæ meſenterii ſecedunt, conſpici credidit, cum eo loci membrana celluloſa, tenera adeo, ut fibrarum ſubjacentium conſpectus non tollatur, facile

(*a*) C. B. Albin. l. c Monro l. c. (*b*) vid. Williſ. pharm. rat. ſ. 1. c. 2. Wepfer. cicut. aq c. 9. C. B. Albin. l. c. Winslow. l. c. Heiſter. anat. §. 211. & t 2. not. 2. litt, a. (*c*) Phyſiol. p. 306. Not. in inſt. Boerh. t. 1. p. 315.

cile ſeparari poſſit: in reliquo autem ambitu inteſtini, fibras immiſceri vult fibris tunicæ communis, quæ carneas mentiuntur. (*a*). Morgagni in jejuno inteſtino rectas fibras faſciæ inſtar, quam in duas meſenterium diſcernit, manifeſtiores & validiores ſe conſpexiſſe refert. (*b*) Et hæc quidem inter celeberrimos anatomicos parum conſtant: neque illud convenit, celluloſam inter tunicam communem & carneam dari: neque, ſi detur, utrum ab ea inteſtina undique cingantur, an ad certum duntaxat a meſenterio ſpatium. Cum ſæpiſſime obeſi adipem, quæ ſemper celluloſæ innaſcitur, inter tunicam exteriorem, & carnoſam, colligant, numerum tunicarum adauxit Ruyſchius, addendo celluloſam, quæ ſita eſſet extimam inter & carneam, nonnunquam adeo inſignis, ut ſub cute vix plures cellulæ dentur. (*c*) Ea vero Winſlowio audit lamina interior tunicæ communis (*d*), eſtque Albini propago, quam a meſenterio ferri, ſupra annuimus: ejus enim lamellis per inteſtinum diſcretis, ſpatium, quo celluloſa protracta locetur, relinqui dicit: inde eam ab utraque parte, communem inter & muſcularem membranam, majori primum copia ferri, mox extenuari, ut tandem e regione annexi meſenterii, ubi fibras muſculares tunicæ communi accretas ponit, nec flatu nec alio quovis artificio celluloſa fabrica de-

(*a*) Med. eſſ. Edinb. l. c. (*b*) Epiſt. An. 14. §. 8. (*c*) Theſ. 6. No. 9. Tab. 6. fig. 2. Theſ. 10. No. 48. (*d*) l. c. §. 62. 93. 96.

demonſtrari queat: quam ob cauſam, cum totum inteſtinum non ambiat, nec diſtinctæ tunicæ nomen mereri, neque eo loci, quo tunica muſculoſa communi inhæret, pinguedinem vel in obeſiſſimis unquam viſam eſſe, putat ſedulus ille naturæ ſpeculator (*a*), monetque, id, quod pro celluloſa, quæ ſub communi ſita ſit, habuit, ſefelliſſe tum Ruyſchium, tum etiam alios, qui fidem ei adhibuerunt, eſſeque tunicam nerveam, non ſub communi ſitam, ſed inter muſculoſam & internam. (*b*) Morgagni tamen in obeſo tenuia conſpicienti non uno in loco ſeſe obtulit pinguedo inter rectas fi bras & inter communem tunicam poſita, ut eas non eſſe hujus fibras evidentiſſimum eſſet. (*c*) Hæc autem membrana copioſa in duodeno reperitur, circa jenunum parcior eſt, in ileo minima. (*d*) Sed nervea tunica ab altera parte cum interna conjungitur, ab altera cum muſculoſa; ut celluloſa cum cute & muſculis: eaque, ubi concidit, membrana denſa eſt, ut celluloſa, quæ ſub cute, & tractando denſatur magis; quum diducitur, & diſtrahitur, fit rarior. (*e*)

Sed & muſculoſum involucrum, ſimili modo e fibris contextum, ſpiſſius tamen, inteſtina craſſa obvolvit (*f*), atque alterno motu adſtringit. (*g*) Præ-

(*a*) C. B. Albin. diſſ. de inteſt. tenuib. §. 5. (*b*) B. S. Albin. Acad. Annot. l. 2. c. 7. l. 3. c. 11. (*c*) Epiſt. an. 14. §. 8. (*d*) Winſlow. l. c. §. 108 119. (*e*) B. S. Albin. Acad. Annot. l. 2. c. 7. (*f*) Winſlow. l. c. §. 137. (*g*) Walæus ep. de motu chyli Haller act. Gott. T. 2. p. 147.

Præter hoc autem ad appendiculæ vermiformis initium tria ligamenta incipiunt ſeu fibroſæ productiones, quæ per longitudinem coli porrecta ſunt, quæque ex fibris rectis carneis conſtant, atque hoc inteſtinum in varias cellulas & concamerationes dividunt; ſub finem vero coli ſenſim & lateſcunt & magis carnea fiunt: unaque hæc tria efficiunt vaginam muſculoſam, quæ ex fibris rectis conſtat rectumque inteſtinum continet: quo ſimul conſtat, quod ipſorum natura ſit carnea; tum quod in bobus, ubi eæ fibræ toto ſere inteſtinorum craſſorum tractu per longum excurrunt hæc circumdantes, nulla ex ipſis productionibus occurrit. (*a*)

Inteſtina igitur tum adſtringuntur, tum relaxantur, ut omne, quod acceperunt, cogant, & confundant: reliquiæ autem cibi depelluntur tum adſtringentibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus (*b*). Motus vero eorum, ut teſtantur obſervatores, in animali vivo utique perpetuus eſt. Nonnumquam naſcuntur infantes, quibus circa umbilici funem, ſimul cum tegumentis, pars muſculorum deeſt; tumque is locus tenui tantum translucida pelle obducitur; ſi ea partu difficuli rumpitur, inteſtina procidunt. Inſanabile id malum eſt, & celeriter paucis a nativitate diebus jugulat: herniam umbilicalem, cum umbilicus demum delapſo funiculo fiat, quidam male nominant. Et quod ad motum inteſtinorum pertinet; Ruyſchio, qui id ſæpius vide-

(*a*) Vid. Euſtach. T. 10. fig. 2. 4. 5. Valſalv. diſſert. Anat. 1. p. 128. Morgagn. Epiſt. Anat. 14. Winſlow. §. 143. 144. 145. 174. (*b*) Cic. Nat. Deor. l. 2. c. 55.

derat, commodiſſima occaſio fuit. (*a*) Medendi autem cauſa chyrurgus, tumore inciſo, quem pro ſarcomate habebat, magnam ſimul partem ex inteſtinis imprudenter abſcidit. (*b*) Facillime etiam Helmontius motum hunc in puero, cui inteſtina prolapſa fuerant, vidit: namque umbilicus, veluti tenuis cuticula, totus pellucidus erat, ad ſesqui palmæ extenſionem. (*c*) Eundem quoque in inteſtinis extra abdomen effuſis obſervarunt alii (*d*). Et ſi vivum animal inciditur, inteſtina inſtar magni lumbrici, aut longioris ſerpentis more agitari contendunt. (*e*) At motus hic ſubtilis, qui cumulo lumbricorum, quia varie torquentur, & abſque ordine quaſi ſerpere nituntur, conferri ſolet, vix verbis exprimi poteſt, potius inſpectione recenter mactati animalis cognoſcendus. Is, ac ſi repente ab una parte in aliam procederet, vermicularis dicitur, ſive *periſtalticus*: quamvis appareat, quacunque ratione ad motum reſpexerimus, nihil rationis, ſub Hallero quidem authore, reperiri: ubi ſuperior pars inteſtini conſtringi incipit, quod accepit, in inferiorem laxatam tranſmitti, manifeſtum eſt. (*f*) Fere autem pro eodem ſumitur, qui a mor-

(*a*) Obſ. Anat. 71. fig. 59. Obſ. 72, 73. Vid. Miſc. N. C. dec. 2. a. 6. p. 263. Dec. 1. a. 3. p. 166 d. 3 a 5 6. append. p 118. (*b*) ib. D. 3. a. 2. p 286 (*c*) De fl. t b. §. 38. (*d*) Miscell. N. C. d. 3. a. 5. 6. p. 222 Blegny Zod. Med. Gall. ann. 1680. p. 125. Peyer: Parerg. Anat. Ex 1. c. 4. Ex. 2. p. 105. (*e*) J. Riolan. Fil. Authropogr. l. 7. p. 416 Walæus epiſt. de motu chyli. Gliſſon. de ventr & inteſt. c. 15. Willis Pharm. Rat. ſ. 3. c. 1. Wepfer cic. aq. c. 8. Drelinc. canicid. 5. (*f*) Act. Gott. T. 2. p. 148.

morte, inteſtinis celeriter e corpore exemtis, ſupereſſe conſuevit, & quem inſpexiſſe videtur Tyrrhenæ gentis haruſpex, dum

*— — Mactatarumque bidentum,*
*Quid ſibi ſignificent, trepidantia conſulit exta.* (*a*)

Si quidem, Hallero quoque authore, in iis, per plures partes diſcerptis, motus reciprocus videri poteſt, & quavis irritatione contractio (*b*) Idem ille motus, ſi quæ experimentis fides, ubi aliquamdiu cibo abſtinet animal, langueſcit, quo magis autem id victu repletur, eo crebrius & vividius inteſtina dilatantur & contrahuntur, adeo ut vibratio vel quinquies ſpatio minuti primi in eadem parte contingat. (*c*)

Contrahuntur vero, ſiquidem in animali vivo & ſano mire arctata ſunt, inteſtina virtute muſculoſa; ideoque a morte flaccida reperiuntur, & a ſpiritu, qui intus eſt, diſtenta pellucent. Galenus inteſtinis contractis teneri ingeſta ſexcenties in animali vivo conſpexit. (*d*) Iſque motus quoque periſtaltici ſæpius meminit. (*e*) Hoc itaque motu contenta referunt verſus noviſſima inteſtina propelli.

Eſt etiam obſervatio quædam, qua is ante ipſos oculos poſitus fuiſſe feratur; cum cuidam pars ilei

(*a*) Ovid. Metam. l. 15. v. 575. (*b*) Act. Gotting. t. 2. p. 137. (*c*) Lieberkuhn. diſſ. de vill. inteſt. p. 21. (*d*) De Natur. Facult. l. 3. c. 4. T. 5. p. 59 (*e*) Ib. c. 8 p 63. de uſu part. l. 4. c. 8. T. 4. p. 375. c. 9. p. 378. c. 17. p. 390. comm. 3. in Hipp. de Victu acut. T. 2. p. 99

ilei, extra abdomen delapſa, vulneris oræ accreviſſet. Nam ſub illa fibræ circulares ſucceſſivo ordine contrahebantur, primæ ventriculo proximæ, deinde alternatim, quæ ſubſequuntur; ideoque fæces ad finem inteſtini reſecti, e quo per vices prodibant, ſenſim detrudebantur: identidem vero inteſtinum ſe movebat vermis in modum, qui, ubi progreditur, modo fibras caudæ vicinas contrahit, modo dilatat, mox ſe illis, qui capiti propinquiores ſunt, vibraturus: atque ita continuo nunc has nunc illas movendo, primas extendit, eodem tempore, quo contrahuntur, quæ a tergo ſunt (*a*). Ramex etiam, qua mulier quinquagenaria per ſeptem annos vexata erat, cum retrocompelli non poſſet, in ſuppurationem verſa, inteſtinorum motum viſui ſubjecit, ano ſupra conſuetudinem in dextro inguine facto. Namque duæ portiones inteſtinorum ita prolabebantur, ut tunica villoſa extus flecteretur, atque non ſecus ac vivi vermes huc atque illuc volutæ, modo minuebantur, modo increſcebant: ima pars vividior tactu anguillæ inſtar bis ſe circa digitum torſit; ſuperior, ani vicem gerens, minus movebatur, puſtuliſque referta erat. Ipſa autem ex toto inteſtina, alternis vicibus, jam dilatata & mollia, jam coarctata & in rugas contracta apparebant: prior pars, ſtercore depulſo, deſedit, poſterior, eo accepto, tumebat. Alia vero motus ſpecies, qua ex tortuoſa

(*a*) Blegny Zod. Med-Gall. a. 1680. p. 124. 125. 144. Miſcell. N. C. d. 3. a. 5. 6. p. 222.

ſa ad rectam magis lineam trahuntur, illam antecedere videbatur, eaque extimam ſuperficiem, meſenterio contrariam in rugas plicari, per fibras juxta longitudinem poſitas. Is motus ſemper frigore intendi, frigusque coli dolores excitare conſueverat. (*a*) Extremum quoque duodeno continuum, ſi inteſtinum, vulnere, vel gangræna, ut in herniis fieri aſſolet, diviſum eſt, motu vermiculari chylique elapſu dignoſci proponunt. (*b*) Profecto veriſimile eſt, ubi univerſum, aut maxima pars tenuioris inteſtini in ſcrotum irrupit, contenta ſolo hoc motu propelli: per quod enim intruderentur, cum nihil ſit, quod a ſe motum habet? Septum transverſum & abdominis musculi hic potius obeſſe quam juvare videntur.

Ante omnia autem ſuccus, ut oſcula venularum lac exſugant, in inteſtinis agitari, ſed lente propelli convenit. Id faciunt valvulæ (*c*); forte etiam reciproca contractio ſurſum & deorſum, qua, quod depulſum jam eſt, in priorem locum repellitur, aliquid confert. In muliere, cui a latere ſiniſtro, ſupra inguen magna pars inteſtinorum extra abdomen propendebat, ambo & Wepferus & Peyerus, admota manu ſe obſervaſſe teſtantur, quod motus fibrarum modo a ſuperiore parte, modo ab inferiore inciperet, adeo ut materies, quæ intus fluctuabat, ſurſum deorſumque concuteretur, abſque ullo ægrotantis dolore, vel torminibus (*d*). Et

(*a*) Philoſoph. Tranſ. abridg. N°. 460. (*b*) Littre ac. Reg. Sc, a. 1700. p. 308. (*c*) B. S. Albin. Acad. Annot. l. 3. c. 4. (*d*) Peyer Parerg. Anat. 1. c. 4.

Et hi, ſi modo attento oculo animalis vivi inteſtina luſtrantur, evidenter patere affirmant, motu *periſtaltico* ea, quæ inteſtina continent, tranſmitti, mox eodem motu retrogrado repelli, iterumque depulſa tandem lentiſſime in ima deduci. (*a*) At Muraltus, ſi motus *periſtalticus* retrocedit, vomitum facilem fore, contendit. Peyerus vero, nauſeam & vomitum excitari concedit, ſi modo naturalis motus incitatur, & fit convulſivus. (*b*) Inſiſtit alter, valvulas, quæ in inteſtinis connivent, humores ſatis retardare, neque motu retrogrado opus eſſe: cui prior, valvulas neque tam amplas, neque tam validas eſſe, reſpondit, ut cibos tanquam in vinculis continere poſſint; eas aliquam moram tantum injicere, ac illidentem ſuccum quaſi repercutere, uti torrens crebris repagulis frangitur & langueſcit; veriſimile autem non eſſe, eas motui inteſtinorum tantopere reſiſtere, ut pellis muſculoſæ virtutem ſuperare, aut illudere valeant. Præter hæc (quod ipſi evidentiſſimum argumentum videtur) leporum, piſcium, multarumque avium inteſtina coeca prælonga eſſe, & varie intorta, plurimumque materiei continere, nec valde tenuis, nec perquam craſſæ, illi, quæ in vicinia reperitur, valde ſimilis; hæc autem ingredi quidquam, aut ex iis exire non poſſe, niſi reciproco motu fibrarum, ultra citrave fuerit impulſum. Rugitum quoque & ſtrepitum ventris, quem, maxi-

(*a*) Id. Ib. Wepfer. Cic. aq. c. 8. 20. V. Swieten Comm. T. 2. p. 377. (*b*) Peyer. Parerg. An. 2. p. 104.

xime in fæminis, abſque crepitu vel flatu audimus, oriri credidit, tempore, quo motus non tantum deorſum, ſed etiam, reciprocatione quadam, ſurſum vergit, ſic ut materies huc illucve agatur. (*a*) Eademque ratione Galenus in craſſiore inteſtino motum retrogradum amplectitur; partibus enim, quæ in ſede ſunt, ante contractis, inteſtinum, dixit, ab inferioribus conſtringi incipere, & ſurſum contenta propellere; idque evidentiſſimum eſſe, ubi excrementa ad anum effuſa ſponte retinentur, quod iis, quos negotium quoddam occupat, vel qui procul a latrina abſunt, ſupervenire conſuevit; tum vero ea ſurſum celeriter recurrere, ut, neque vi facta, poſtea prompte obediant, neque deſcendant. (*b*) Ob quam cauſam, ubi alvus lotione ducenda eſt, ſi id, quod infunditur, infuſum eſt, quantum fieri poteſt, continere ſe in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati dejectionis protinus cedere; ubi neceſſe eſt, tum demum deſidere. (*c*)

Quod ſi motus retrogradi plus eſt, & vera inverſio, inteſtina, quod acceperunt, in ventriculum remittunt; tumque facile id vomitu rejicitur (*d*), quo fit, ut cum lotionibus ſtercora prorupta dicantur, volvulo lethali. verum in his medicos forte ſimilitudo fefellit. Si inteſtinum tenuius intra ramicem occludatur, nec alvus, nec ſpiritus infra

(*a*) Id. miſc. N. C. d. 2. a. 4. p. 107. (*b*) Comm. 5. in Hipp. Epid. 6. T. 9. p. 533. (*c*) Celſ. l. 2. c. 12. (*d*) Galen. Comm. 3. in Hipp. de Victu acut. T. 11. p. 99.

ſra tranſmittitur, ſed vomitus oritur, primo bilioſus, mox varius, dein mali odoris ſtercori liquido ſimillimus, quæ tamen materies tenuiori inteſtino, ſupra locum obſtructum, innaſcitur. (*a*) Cæterum valvula coli reditum in tenuiora impedit. (*b*) Aliis etiam, ubi inteſtinum ex nimia inflammatione cancer occupat, & dolor quieſcit, infra tranſmittitur, ægrumque in exitum præcipitat. (*c*) Cæterum intra ipſa tenuia inteſtina, ſi craſſa transitum permittant, nunquam verum ſtercus naſcitur. Quidam autem, cum ab utero matris nullum ani aut colis indicium habuiſſet, poſt concoctionem, conſueto tempore, duras alvi fæces per os reddidit, inſerto cornu, atque ut fœdum ſaporem ablueret, ſemper gratum potum aut aquam ſecum tulit, cætera ſanus. (*d*) Quidam, qui ſimiliter ultra viginti annos vixit, ſub meridiem menſæ opiparæ accumbere ſolitus, convocatis ſæpe quibuſdam nobilibus, comedit & bibit, nulli in convictu ſecundus, iſque ſub primam, ut pridianum prandium revomeret, a menſa ſurgere conſueverat, poſtridie retenta recens ſumta, iterum ut heſterna egeſturus putridiſſima atque ſtercori ſimillima. vomitum autem cum ſemel, magna copia, & ex facili feciſſet, abluto aquis odoratis ore, mox ad prandium redire ſolebat, a coena vel jentaculo alienus. (*e*) Igitur, ut ad propoſitum meum rede-

(*a*) Vid. Morgagn. adv. 3. animadv. 11. (*b*) B. S. Albin. acad. annotat. l. 3. c. 2. (*c*) Tulp. obſ. med. l. 2. c. 41. (*d*) Th. Bartholin. hiſt. an. c. 1. hiſt. 65. (*e*) Ab Heers obſ. 29. vid Schenck. obſ. l. 3. p. 391. Stalp. v. der Wiel. Cent. 1. obſ. 56.

deam; cui motum *periſtalticum* videre contigit, ipſi facile, ſi invertitur, vomitus cauſa eſt; nam is, ubi ſponte ſupervenit, longas dejectiones ſupprimit (*a*); atque ab eo, ſi curari difficilius id malum poteſt, oportet incipere, etiamſi nihil offenſæ, quod ventrem turbare ſolet, in ſtomacho ſentitur. Van Swieten feliciter in ejuſmodi diuturno fluore ægros, cum nihil quævis remedia juvarent, aliquoties vomere coegit (*b*). Contra ſæpe vomitum ſolvit fuſior alvus, mutato, ut videtur, inteſtinorum motu. Ideoque il'ud quoque ſcire oportet, quod ventrem vomitus ſolutum comprimit, compreſſum ſolvit. Itemque comprimit is vomitus, qui ſtatim poſt cibum eſt; ſolvit is, qui tarde ſupervenit. (*c*)

Inteſtinum autem, quo arcte adſtringitur, contra id tumere ſolet. nonnunquam venter ictu aliquo perforatur, ſequiturque, ut inteſtina evolvantur; ea, ſi anguſtius vulnus eſt, quam ut commode refundantur, flatu intumeſcunt. quod ubi incidit, acu, ut Paræo placuit (*d*), hinc inde pertundi debent, vel incidendum vulnus eſt, donec ſatis pateat (*e*). Nonnunquam inteſtina rigore contrahuntur, & vehemens fit inflatio; diſtentione finita, ſpiritus emittitur. Omnibus, quos hyſtericas & hypochondriacos vocant, quoties quid comedunt, in ventriculo id vitium incidere conſuevit (*f*). Ubi vel ſponte, vel lachryma papaveris

(*a*) Hipp. a. 6. 15. Celſ. l. 2. c. 8. (*b*) Comm. t. 2. p. 390. (*c*) Celſ. l. 1. c. 3. p. 32. (*d*) l. 10. cap. 36. (*e*) Celſ. l. 7. c. 16. (*f*) Sydenh. diſſert. Epiſt.

ris vel odore aſæ foetidæ & ſimilium morbi acceſſio quieſcit, mox crebri ructus erumpunt, rigore ſoluto. Quibuſdam ex animi motu inflationes ſunt. Jam a voluntate etiam noſtra flatus & excitari & regi fere prodigioſum eſt; vidi tamen, qui, quoties vellent, in os alvumque protrudere flatum poterant. utrum conſuetudine in libidinem verſa, an obſtinatior voluntas, ſpecie animi adfectus, flatus provocaverit, alii exponant. (*a*) Si inflatio recens ſine inflammatione in ſuperioribus partibus dolorem tumoremque fecit, bonum ſignum eſt ſonitus ventris inde ad inferiores partes devolutus, magiſque etiam, ſi ſine difficultate cum ſtercore exceſſit (*b*). Et a plurimis venenis venter tumet, non quia, ut vulgus putat, ſpiritum gignunt (arſenicum & mercurius ſublimatus in vacuo Boyleano nihil tale oſtendit) ſed quoniam aer, qui ventriculum inter & inteſtina arcte conſtricta capitur, rareſcit calore, & loca, in quibus continetur, expandit, unde crepare quis vel diſſilire a veneno dicitur. Wepferus pertinaciſſimam fibrarum contractionem reperit in inteſtinis hominum, quos morbus colicus ſuſtulit, & animalium, quibus medicamenta dederat, quæ corpus exedunt, aut purgant, adeo ut flatus, vel contenta inter duas contractiones intermedia, vix ulterius propelli potuerint. (*c*)

A

(*a*) Pechlin. l. 1. obſ. 57. (*b*) Hipp. coac. 281. Edit. Mack. t. 1. p. 163. Celſ. l. 2. c. 3. p. 50. (*c*) Cicut. aq. c. 8.

A rigore quoque is morbus oriri videtur, quem choleram ſiccam nominant: ſiquidem in hac venter inflatur, ſtrepitus inſunt, nihilque alvus dejicit, ſed adſtricta eſt. (*a*) Id autem vitii genus ſæpius eos, qui, præter conſuetudinem, laſerpitium ſimul cum caſeo aſſumunt, infeſtat: (*b*) Ita affectum, ne vomat, ſervato, verum alvus ſubducatur. Clyſterem itaque calidum, ac pinguiſſimum celeriter injice; perunctumque in aquam calidam & quam plurimam, in ſolio collocatum, & calida ſenſim affuſa demittito; ac ſi calefacto ipſi alvus ſubducatur, liberatus eſt. Hunc etiam dormire confert, ac vinum tenue, vetus & meracius bibere; oleum quoque dato, ut quieſcat & alvus ſubducatur, & ſolvitur morbus; a cibis autem atque cæteris abſtineat; verum ſi dolor non remiſerit, lac aſininum bibendum, donec purgatus fuerit, exhibeto (*c*). Huic morbo quoque affinis videtur, qui hodie colica Pictonum dicitur, quique per intervalla revertitur. Namque in ipſa acceſſione inteſtinum tenuius adſtrictum nihil in inferiores partes tranſmittit, venter contrahitur, neque ex motu ſpiritus intus ſonus eſt, ventriculus, quod accepit, non continet, ſed protinus vomitu rejicit, quo ſimul bilis æruginoſa prorumpit, ructus frequens ſed inutilis; tandem ſpiritus cum ſono per inferiores partes erumpens indicat ſolvi diſtentionem, tuncque brevi dejectio

(*a*) Hipp. ſ. 4. de vict. acut. Ed. Mack. t. 2. p. 132.
(*b*) Ib. p. 129. (*c*) Ib. p. 132.

jectio ſequitur. Atque eadem hic conveniunt auxilia, quæ in cholera ſicca laudavit Hippocrates. Venter oleo & iis quæ molliunt fovendus, eadem in alvum immittenda, cæterum medicamenta, cum retineri nequeant, inter initia, dejectionis cauſa, non exhibeantur; ſatius eſt ejus rei cauſa potiones aſſumere, qui ventrem molliant, donec diſtentione ſoluta per ſe excernat, tunc autem levi medicina ex facili ſolvitur. (*a*)

Etiamnum in vivis inteſtina hinc inde conſtringi viſum fuit Helmontio. Mira de puero, cui ea circa umbilicum, levi tantum cuticula tecta, prominebant, memoriæ prodidit. Illo quoque authore, ubi aer libere tranſit, inteſtina, etiamſi ſpiritu diſtendantur, non ſentiunt, ſed ubi hinc inde contrahuntur, tum demum dolent (*b*) Quod ad puerum vero pertinet, in torminibus ilei procella ipſis oculis ſpectari poterat, illud enim, ac ſi obambulando ebullierat, torqueri & verti videbatur, maxime cum nova tormenta intenderentur. Longe vero ſecus in ſanitate, motus, quo ſe inteſtina exercebant, erat; nam quoties quid ſuperne ad anum tranſmittebatur, protinus inteſtinum ſe contraxit, ac ſi penitus clauſum fæces infra ſe depelleret, idque fiebat contractione ſucceſſiva, non ſecus, atque fidicen digitum poſt digitum aperit, & priorem laxat. Eaque ratione ſpiritus cum excrementis protrudebatur, ipſe tamen ilico ad priſtinum locum retrocedebat. Ergo cum vidiſſet, flatus

(*a*) Mead. mon. med. (*b*) De Lithiaſ. c. 9. §. 32.

tus ab ileo ad anum, cum iis, quæ excernenda ſunt, non continuo propelli, ſed potius retrorſum ire ad partes ab excretione laxatas, eos naturales atque utiles eſſe putavit, minimeque oneroſos (*a*); ſi vero inteſtina convellantur, fieri noxios. (*b*)

Torminum quoque naturam, & quomodo oriuntur, viventis ranæ inteſtina demonſtraverunt, ſiquidem, variis in locis laceſſita, pertinaciſſime mox ſe conſtringebant; quicquid autem continebant, ſurſum deorſumque protruſum hinc inde in cumulos quaſi congerebatur, quo aliæ inteſtini portiones valde ſuere repletæ, aliæ prorſus inanes & arctiſſime adſtrictæ perſtiterunt, donec reſolutis fibris meatus liberior redderetur. Atque cum inteſtina hinc inde contracta chylum fæcesque ſurſum vel deorſum projicerent, partes quædam ſupra conſuetudinem ampliatæ alias ejusdem inteſtini portiones, quæ contractæ erant, intra ſe receperunt, easque, per quoddam tempus, ſinu ſuo abſconditas detinuerunt. Tandem, fibris laxatis, pars, e latibulo alterius, in priſtinam ſedem rediit, velut e domunculo limax in propatulum venit. (*c*) Si veneno partem inteſtini tetigeris, anguſtatur ea, & in proximam ſurſum vel deorſum materiem evacuat, ut nodus ibi naſcatur, & adeo accurate ſtringitur, ut nulla cavitas ſuperſit. In cuniculo etiam, qui venenum ſumſerat, pars inteſtini contracta in vicinam irrupit, iterumque eodem modo exiit,

(*a*) Id de Flatib. §. 38. (*b*) Ib. §. 42. (*c*) Peyer. Parerg. An. I. c. 9.

exiit, cibis æquabiliter ſurſum deorſumque compulſis. (*a*) Acria quoque non ſolum in loco, quo adplicantur, contractionem excitant, verum ſæpe in vicinis pluribus locis eodem tempore, ut nihil per fiſtulam inteſtinorum aut ſtomachum transmitti poſſit. Ventriculus canis jam per aliquot horæ momenta mortui, cultelli apice irritatus vel forcipe laceſſitus, non in loco, quo tangebatur, ſed paulum inde remoto fortiſſime ſe contraxit, ut quinque ſextas partes ſuæ capacitatis amitteret. Dum olei vitrioli exigua guttula viventis canis inteſtini exteriori ſuperficiei applicabatur, inteſtinum illico in hoc loco ſic contrahebatur, ac ſi funiculo conſtrictum fuiſſet. (*b*) Van Swieten, dum leviter irritaret inteſtina, vidit ſpasmum fieri in loco irritato, vel & aliquando in loco vicino: ubi vero deinde in alio loco ſimilem irritatiunculam faceret, vidit priorem ſpasmum ceſſare & ipſi ſimilem alio in loco naſci; unde credidit, remedia, quæ carminantia dicuntur, ſimili fere modo agere; hæc enim æque obſervantur flatus producere, quam diſſipare. (*c*) Interna vero ventriculi & inteſtinorum ſuperficies valde irritabilis videtur: utraque hæc pars aperta, ſi veneno tangatur, labia vulneris revolvit, & ſpumam movet. (*d*) Veſica canis forcipe leniter ſauciata ſtringendo omnem urinam expellit. (*e*) Vulva quoque a partu ſecundas, atque con-

(*a*) Haller. act. Gott. T. 2. p. 148. (*b*) V. Swieten, Comm. T. 2. p. 235. (*c*) Ib. p. 240. (*d*) Haller. act. Gott. T. 2. p. 146. 148. (*e*) Drelinc. Canic. 2. Foelic. diſſ. de motu periſt. exper. 4. 6. Haller. ib. p. 142. 143. Kaau Impet. fac. p. 448.

concretum ſanguinem per naturam expellit, ejusque motus in animalibus vivis obſervari poteſt. (*a*) Cathartica quoque inſperſa utrique parti inteſtini, quod a ramice apertum fuiſſe alias dixi, motus vermiculares cum muci quadam ſpecie ſuſcitarunt; caſſia minus, manna ſoluta magis; pulvis vero e radice jalappæ liquore permiſtus multum ſeri ex inteſtinis elicuit & vehementi motu ægræ tormina fecit. (*b*)

Hippocrates, latera diducendo, contractionem inteſtinorum ſuperare anniſus eſt: Quum volvulus corripuerit, venter durus redditur, nihilque dejicit, dolorque totam inferiorem alvum detinet, & febris & ſitis; interdum etiam præ dolore bilem æger vomit; hunc & intus & extra humectare oportet; & multa calida lavare; eaque bibere, quæ & alvum moveant, & urinam deducant; & alvum ſubluere, ſi admittat. Quod ſi clyſterem non admittat, fiſtula propendulo utriculi petiola alligata & inflata, multus flatus immittendus; quumque inteſtinum & venter a flatu elevata fuerint, exempta fiſtula, ſtatim clyſter injiciendus; quem ſi admiſerit, alvus dejiciet, & convaleſcet; ſi vero ne ita quidem clyſterem receperit, ſeptimo potiſſimum die moritur. (*c*) Hocque malum oriri dicit, ſi inteſtinum indurato ſtercore intumeſcat, & occludatur. Interdum etiam recentiores viri, ſi durum ſter-

(*a*) Rudbeck obs anat. 14 Haller. ib. p. 142. (*b*) Philoſ. tranſact. No. 460. (*c*) De affect. c. 6. Ed. Mack. T. 2. p. 310.

ſtercus absque inflammatione dolorem movet, hanc medendi viam recte ſecuti ſunt. Cuidam os multum, alvus nihil reddidit; cumque fruſtra lotiones & glandes ano inditæ fuiſſent, ubi apto folle fabrili, quo ignis accenditur, primo ſpiritus, dein clyſtere lenis medicina, adjectis *Trochiſcis Albandal*, in alvum immittebatur, ſtercus diſſolutum eſt, & eductum. (*a*) Eademqne ratione ſalus & alii facilis fuit. (*b*) Et filius Altimari medici inſtantem mortem evaſit, aere ſubtus impulſo, ſed calido (*c*); quoniam frigus inteſtinis inimiciſſimum eſt. (*d*) Salius quoque felicem hujus curationis eventum vidit. (*e*) Alia tamen ratione folle uſus eſt Hippocrates in volvulo, qui inteſtinorum inflammationi debetur: Reſiccatur inteſtinum & conſtipatur ex inflammatione, ita ut neque flatus, neque alimenta pertranſeant, ſed venter durus ſit, & vomat interdum, inprimis quidem pituitoſa, deinde vero biliosa, poſtremo etiam ſtercus; ſitim patitur, ac dolorem, maxime circa hypochondria, totus etiam venter dolet, & inflatur, & ſeſe jactat; febres invadunt, fiuntque maxime ſeptimo die. Hos ſic curare oportet; Sanguis e capite & cubito detrahendus; —— æger in aquam calidam collocandus atque oleo illiniendus, tepentes fotus humidi admovendi; —— glans decem digitorum ſubjicienda, quoad ſtercora recti inteſtini ſub-

(*a*) Amat. Luſitani. cent. 1. curat. 100. (*b*) Ib. cent. 4. cural. 95. (*c*) Epiphan. Ferdinand. hiſtor. 75. (*d*) Cæl. Aurel. acut. morb. l. 3. c. 17. p. 241. (*e*) Comm. in l. 3. Hipp. de morb. p. 311.

ſubducas. Quod ſi ſic paruerit, poſtea clyſter injiciendus; ſin minus, folle fabrili indito, in ventrem flatus immittendus, ut tum ventrem tum inteſtinum contractum diſtendas; deinde, extracto folle, clyſter injiciendus ex iis, quæ ſtercus diſſolvunt, & emolliunt; deinde, obturata ſede ſpongia, in aqua calida deſideat clyſma continens. (*a*)

Neque ſolum hæc conſideranda ſunt, ſed etiam, quod grave corpus per inteſtina in ſinus vehementer implicita, & huc atque illuc voluta, modo deorſum modo in altum propelli poſſit, unde harum partium robur intelligitur. Sphæræ plumbeæ vel aureæ ad iliacam paſſionem a nonnullis præſcribuntur, fauſto quandoque eventu. (*b*) Sic mulier, cum tres globulos e plumbo tornatos, & inter eos unum drachmæ pondere, eadem die deglutiiſſet, ab inteſtinorum dolore liberata fuit, ſimul cum umbilici vitio, qui indecore prominebat; quem autem ultima vice ſumſerat, primum alvo reddidit, dein duos minores. (*c*) Aliquando tamen ut oſſa fructuum aliaque duriora, quæ confici nequeunt, ita & glandes in itinere ſiſtuntur, & moleſtiſſima mala ventri inducunt. (*d*) Et hodie, ſi lumbrici occupant alvum, ſtannum raſum, ut efficaciſſimum re-

(*a*) De morb. l. 3. c. 13. Ed. Mack. T. 2. p. 256.
(*b*) Lanzon. conſult. med. 87. T. 2. p. 180. A. Paré l. 17. c. 55. Majern. prax. Tr. 2. c. 1. p. 61. Gliſſon. de ventric. & inteſt. c. 24. §. 10. (*c*) Velſch. Hecatoſt. 2. obſ. 33. (*d*) Giſſon ib. Stalp. v. der Wiel. cent. 2. obſ. 18. Academ. de Chyr. T. 1.

remedium, exhibent (*a*). alii ubi ad ultima fere ventum erat, ægros volvulo correptos, dato vivo argento liberarunt (*b*), quod ſani etiam quotidie ad uncias ſine noxa aſſumunt (*c*), & puerulis, quos lumbrici exercent, ſæpius profuiſſe, experimenta docent (*d*). Motus vero reciprocus ventriculi atque inteſtinorum papavere ita ſiſtitur, ut ſponte deſinat, nec ulla ratione reſuſcitari poſſit. (*e*) Eo quoque cibi deſiderium minuitur (*f*); difficilis & tarda concoctio redditur (*g*) ac ſi tergora ſtomachi & inteſtinorum reſoluta ſint. Quam ob cauſam antiqui, an theriaca vitiata ſit, exploraturi, cujus præcipua virtus ex lachryma papaveris dependet, prius eam, dein medicamentum, ex alvum ducentibus, dabant; tumque ſi venter non moveretur, theriacam efficaciſſimam indicabant, quoniam purgationem ei, qui medicamento uſus eſt, prohibuerat. (*h*) Kaau cani parvulo, tribus granis papaveris veſperi circa horam octavam datis, ſubitum ſomnum conciliavit, & ubi ſexta matutina dormientis abdomen ſecaverat, ventriculum valde diſtentum atque in inteſtinis contractis motum lentiſſi-

(*a*) Med. eſſ. Edenb. T. 5. art. 7. Mead. monit. med. p. 119. (*b*) Ambr. Paré l. 2. c. 46. Epiphan. Ferd. hiſt. 74. Rhodius obſ. med. cent. 2. obſ. 80. act. phys-med vol. 5. p. 518. Mead. l. c. p. 114. Lanzon. oper. T. 3. p. 410. (*c*) Avicenn. T. 2. p. 200. Ab Heers obſ. 3. Rhod. obſ. cent. 3. obſ. 85. med. eſſ. Edenb. T. 2. art. 34 T. 3. art. 31. (*d*) Matthiol. in Dioſcor. l. 5. c. 70. l. 6. c. 28. Fallopp. de metall. c. 38. Rhod. cent. 3. obſ. 85. (*e*) Haller. act. Gott. t. 2. p. 147. 154. (*f*) Willis pharm. rat. ſ. 7. c. 2. (*g*) Geoffr. M. M. T. 2. p. 698. (*h*) Galen. de ther. ad Piſon. l. 1. Charter. T. 13. p. 932.

tiſſimum vidit; craſſiora etiam cum veſica tumere invenit, ſi quidem ſomni tempore nec alvus, nec urina emiſſa erat; verum in ſummo inteſtino nihil ſucci, quo nutritur animal, adeſſe deprehendit, ſed multum bilis cum liquore, qui ex pancreate fertur, miſtæ, ima parte ventriculi clauſa; eoque inciſo panem, heſterno paſtu cum lacte deglutitum, ac ſi ſolum calore fota forent, acida, nulloque modo concocta, cum odore papaveris naribus percepit. (*a*) Fereque ſimilia in cane, circiter duplo majori, cui cum lardo ſex grana papaveris lachrymæ juſculo liquata dederat, conſpexit, & ne quidem inteſtina acus cuſpide laceſſita motum incitarunt. (*b*) Ex aperto ventriculo foetor exhalabat rancidus, in quo damnabat odorem nauſeoſum papaveris, adeo ut papaver ita ipſius ventriculi motum impediat, ut ipſum cum ingeſtis exire non potuerit, licet quasvis vires corporis ſupprimat. (*c*) Hallero tamen, ſemel in fele reciprocam inteſtina movendi vim, eo cohibere difficile fuit. (*d*)

Quidam, cui imperio motus ventriculi atque inteſtinorum ſubjicitur, quærunt? Sed naturalium actionum quæſtio ideo ſupervacua eſſe videtur, quoniam incomprehenſibilis natura ſit, quam Helmontius vocavit juſſum dei, qua res

(*a*) Impet. fac. Hipp. §. 434. (*b*) Ib. §. 435. (*c*) Ib. §. 436. Willis pharm. Rat. ſ. 7. c. 1. de anima brutor. c. 16. Boerhav. inſt. § 1138. Helmont. jus duumvirat. §. 62. med. eſſ. Edinburg. T. v. art. 12. ſect. 3. No. 12. V. Swieten. comm. T. 1. p. 370. (*d*) Act. Gotting. T. 2. p. 154.

res eſt id, quod eſt, & agit, quod agere juſſa eſt (*a*). Olim medici quidam, itemque ſophiſtæ fieri non poſſe dicebant, ut quis medicinam norit, niſi ſciat, quid ſit homo, & quomodo primum factus, & compactus ſit. Sed his Hippocrates: Ego vero ea, quæ alicui ſophiſtæ, aut medico de natura dicta ſunt aut ſcripta, minus cenſeo medicæ arti convenire, quam pictoriæ. Judico autem de natura aliquid manifeſtum ac evidens cognoſcere, ex nulla parte aliunde contingere quam ex medicina: atque hoc tunc condiſcere poſſibile eſt, ubi quis ipſam medicinam totam recte comprehenderit: atque ipſi neceſſarium viſum: ut omnis medicus de natura ſciat & omni ſtudio annitatur, ut cognoſcat, ſi aliquid eorum, quæ fieri debent, recte præſtare velit (*b*). Ipſe autem ſedulus naturæ humanæ ſcrutator cenſuit, hanc eſſe vim quandam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios, quos ſingulari corpori proprios deſtinaverat naturæ author; hinc ait: Quæ faciunt, neſciunt; quæ vero non faciunt, ſcire videntur: & quæ quidem vident, non cognoſcunt: Et tamen his omnia neceſſitate Divina contingunt, & quæ volunt & quæ nolunt; —— fatalem ſuam ſortem unumquidque complet; —— lignum homines ſerra ſecant, & hic quidam trahit, alter vero trudit: idem tamen faciunt, idem

&

(*a*) Phyſ. Ariſtot. §. 3. natur. contrar. neſc. §. 39. (*b*) De vet. med. c. 11. Ed. Mack. T. 1. p. 33.

& hominis natura partim quidem propellit, partim vero trahit: partim dat, partim etiam accipit &c. (*a*) Natura omnia omnibus ſufficit. (*b*). Morborum naturæ medicæ (*c*). Invenit natura ſibi ipſi vias non ex intellectu. —— Sed a nullo edocta & citra diſciplinam omnia quæ conveniunt efficit. Quem locum innuere videtur Galenus, cum dicat: Facultas quædam corporibus ineſt, quæ ab ipſa gubernantur, quam Hippocrates naturam appellare conſuevit. Hanc quidem & indoctam & non didiciſſe ait, ſed tamen ea efficere, quæ oporteat: ſiquidem ipſa ſine magiſtro novit, motus voluntarios ab omnibus effici animantibus. Hæc autem effici nos evidenter cernimus: quomodo autem fiant, hoc vero humanum ingenium ſuperat: nec magis quicquam, quam admirari, poſſumus intelligere. (*d*) Veluti enim Homerus Vulcani inſtrumenta finxit ſua ſponte moveri & folles quidem, ſimulac juſſerit dominus, varium & expeditum flatum emittere, ancillas vero illas aureas ut ipſummet opificem moveri per ſe ipſas: ad eundem modum intelligas, in animalis corpore nihil eſſe otioſum, neque immobile, ſed omnia varium expeditumque opus efficere cum conveniente conſtructione divinis quibuſdam virtutibus a Conditore ipſis

(*a*) De ſanor. vict. l. 1. c. 5. ed. Mack. T. 2. p. 12. 13. vid. act. Gott. T. 1. p. 116. (*b*) De alimento. ib. T. 2. p. 90 (*c*) Epid. l. 6. Charter. T. 9. p. 509. 513. (*d*) In Hipp. de aliment. Charter T. 6. p. 265.

ſis inditis. (*a*) Et poſtea: Nemo eſt enim, quam primum natus infans eſt, qui ipſum doceat, quomodo aut linguam movere, aut mammas accipere, aut maternum lac deglutire, aut omnes naturales actiones obire debeat; quo nihil inveniri admirabilius poteſt. Sed quoniam hæc & omni tempore & ſingulis horis & ab omnibus geruntur, idcirco ipſa, niſi idem amicitia junctus ſit iis, qui clari ac ſapientes evaſerunt, admiratur. (*b*) Experimentis quoque commonſtrat, quod natura animalium, nullo docente, ipſa indocta omnia perficiat, neque ſolertiæ, induſtriæ vel imitationi laudem deberi: Quum gravidas capras diſſecaret, foetum, priuſquam matrem videret, abſtulit, & in locum depoſuit, ubi multæ pelves erant, aliæ vini, aliæ olei, aliæ mellis vel alterius humoris plenæ, fructus quoque aderant arborei & cereales. Incedebat hoedus, excutiebat quam a matre contraxerat humiditatem, uno pede latus ſcalpebat: ſingula dein vaſa olfaciebat, ſed lac tandem ſorbuit: quibus viſis omnes exclamarunt, veriſſimum dixiſſe Hippocratem: *Animalium naturæ non edoctæ.* Exactis duobus fere menſibus, tenellos ei fruticum & plantarum ramos obtulit, quorum iterum omnium expertus odorem, alios contempſit, alios guſtavit, atque ſic ad conſuetos caprarum cibos converſus eſt. Sed hoc fortaſſe parvi

(*a*) De uſu part. l. 4. Charter. T. 4. p. 371. (*b*) In Hipp. de aliment. Charter. T. 6. p. 295.

parvi momenti, illud vero magni, quod foliis & teneris ramuſculis devoratis bibit, tumque paulo poſt ruminare coepit, quod omnes videntes exclamarunt, naturales animalium facultates admirati. (*a*) Beſtiæ aquatiles, quæ generantur in terra, veluti crocodili, fluviatileſque teſtudines, quædamque ſerpentes ortæ extra aquam, ſimulac primum niti poſſunt, aquam proſequuntur. Ingenita hæc animantibus natura modo ſuæ ſpontis ſit, hoc efficit, nullo docente, nec conſuetudine nec imitatione. Namque anatum ova gallinæ ſæpe ſupponunt, e quibus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus, a quibus excluſi fotique ſunt. Deinde eas relinquunt, & effugiunt ſequentes, cum primum aquam quaſi naturalem domum videre potuerint. (*b*) Ubi animal quoddam ex iis, quæ lacte aluntur, utero excutitur, omnis fere cibus matrum ad ubera ruit lactis ſpecie, idque, quod paulo ante natum eſt, mammas, quarum ubertate ſaturatur, ſine magiſtro, duce natura appetit. Negavit quoque Galenus, datam eſſe quibuſdam beſtiis machinationem quandam atque ſolertiam, ſed natura magis quam ratione facere conjectabat, apes nimirum favos confingere, formicas cibos condere, aves cubilia ſibi nidoſque conſtruere, araneolas rete texere, & nere ſine doctore. (*c*) Et quis ſolertiam miratur in

(*a*) De loc. affect. l. 6. Charter. T. 7. p. 527. (*b*) Cic. nat. Deor. l. 2. c. 48. (*c*) l. 1. de uſu part. c. 3. t. 4. p. 286.

in vitibus, quæ ſic claviculis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque ſe ita erigunt ut animantes? Corpus igitur hominis creando Deus dedit ipſi ſimul ſemelque cunctas partes, apta ſemper, ſemper eadem, compoſitione ita conſentientes in concinnam unius fabricam, ut actiones inde modo poſſent perfici, quas illi ſingulari proprias Creator deſtinaverat. Quando vero exercendis omnibus officiis erat quam aptiſſimum, tum demum corpus hoc facultatem poſſidet illam, quam naturam hominis dicebat Hippocrates; ſua ſcilicet in ſpecie perfectiſſimam intelligendo valetudinem; ut ſapienti viro natura humana audiat ſumma requiſitorum, omnibus ut muneribus ſuis corpus fungi queat, expedite, abſque dolore, ſatiſque conſtanter. Qui inteſtinorum actionem ſeorſum excutere contendit, aliarum partium ſimul notionem ſe egere experietur: hæret nempe omnibus, quam ſecluſam ab aliis eligit indagandam. Non finis hic, non principium; ſed, ut voluit Hippocrates, circulus eſt humanum corpus. (*a*) Neque ſummo Numini injuriam faciunt medici, dum naturæ tam multa tribuunt; per hanc enim intelligunt *creati corporis fabricam.* Errant vero, qui hoc nomine comprehendunt, ſapiens aliquod, intelligens, ſuo corpoream machinam regens nutu, ſuoque provide movens conſilio: aliud a mente quidem principium, ſed & a corpore aliud. (*b*) Sed ut

(*a*) vid. Boerhav. orat. de honor. med. ſervitut. (*b*) J. Ooſterdyk Schacht orat. morb. remed.

ut cuncta obnoxia certo authoris naturæ inſtituto, & nunquam violabili præcepto parere juſſa, ita & corpus humanum, quod Deus inſtruxit artificioſis tot machinis, affabre in unum opus aptatis, tot irrigavit, & variis humoribus, eoque temperavit motuum citamine, ut tandem univerſorum conſpirantium ope tales perfici poſſint actiones, quas illi proprias deſtinaverat.

Galenus motui inteſtinorum, quem periſtalticum appellant, excernendi facultatem præpoſuit; idque ſatis pie: Etiamſi vocabulum id eos offendat, qui locum, ubi de hac mentem exponit, non recte cepiſſe videntur. Si quis me rogat, inquit, qua in re animalia ſuperant ſtirpes; reſpondeo ea & ſenſum, & appetitum, & expellendi vim habere, quam non animalem ſed naturalem voco; cum eo neque medicinæ neque philoſophiæ quidquam incommodi videam accedere; —— quo etiam modo cum ex illa notione, quam omnibus natura probat, quo nihil ſine cauſa fieri exiſtimamus, cauſam eorum, quæ fiunt, aliquam ſubeſſe concipimus, etiamſi quænam ſit cauſa horum operum non intelligatur, impoſito inde nomine, quod facere ea poteſt, quæ facit, vim eſſe rerum, quæ fiunt, ſingularum effectricem. Sic omnes ſcammoneum ventrem purgandi facultatem habere dicunt. (*a*) Nam cum præſentis rei internam naturam ſive eſſentiam ignoramus, facultatem eam appellare conſuevimus. (*b*) Ejus

(*a*) de Subſtant. natural. facult. t. 5. p. 4. (*b*) de Natural. facultat. l. 1. c. 4. t. 4. p. 11.

Ejus autem, aliorumque opinio, vero non adeo ſimilis eſt, hanc facultatem monitore indigere, quo inſtigata pigritiam excutiat, ut opus ſuum aggrediatur. (*a*) Bilis enim duplex fibras motrices ſtimulare dicitur, quæ ex hepate fertur minus, veſiculæ plus, & eam cathartici naturalis ad inſtar, copioſe e vaſis bilioſis ſtillando purgationem ſpontaneam movere contendunt. Verum ventriculus, quem bilis ſtimulare nequit, ut inteſtina, movetur. Neque ejusmodi acrimonia, qua magis tunicam villoſam inteſtinorum, quam veſiculæ ſuæ propriam exagitet, bili ſanorum ſubeſſe videtur. Medicamentis etiam, quæ alvum vehementius ducunt, diu & ſæpius adhibitis corpus adſueſcit; cur non & bili? neque ea ob ſaporem linguæ ingratum acris dici poteſt. Conſuetudine amariſſimæ tincturæ tandem fiunt perquam gratæ. Lachrymæ oculis ſenſiliſſimis amicus liquor, linguæ ob ſalſedinem diſplicent, genaſque erodunt multum profuſæ. Neque omnia amara alvum ſollicitant. Neque etiam vermes bilem fugiunt potius ea maxime delectari videntur. Hi autem, quoties acu punguntur, vel adurente medicamine vellicantur, doloris ſigna oſtendunt. Sæpe in carpionibus, alioque piſcium genere, pars inteſtini, in quam ductus bilarius fluit, plurimis latis lumbricis, iiſque longis & albis plena conſpicitur, quorum nullus alibi verſatur, in ſtomacho, ventriculo, vel inteſtinis

(*a*) L. 5. de uſu part. t. 4. p. 399.

ſtinis (*a*). Ruyſchius jecinoris vermem in mure (*b*) & in aſello majori vidit (*c*). eorumque intortos funiculos Thom. Bartholinus in membranis animalium hepaticis aliquoties reperit. (*d*) Atque ovibus vulgaris & pervagata lues eſt, qua animalcula hepati innaſcuntur. (*e*) Interdum vivi vermes ipſam veſiculam fellis ejuſque itinera occupant (*f*). Interdum vermiculi, inſtar hirudinum oblongi, feles in duodeno exercent, reliquis inteſtinis innoxiis (*g*). Sæpe etiam vermes, ubi in ventriculum repunt, ore redduntur. Præter hæc ſalſamenta, ciborum condimenta, irritamenta gulæ, aromata, acetum, ſal, vinum, ſimiliaque, quorum uſus frequens eſſe ſolet, alvum non movent. Vigilanti inſcio ad palpebræ motus non opus eſt ſtimulo. Igitur alia proprietas, qua ventrem reſolvit bilis, neceſſaria eſt: ſiquidem ubi ea iners eſt, aut multum infra vel ſupra erupit, alvus ſupprimitur, orto glutine vel acido ſpontaneo; tuncque herbæ amaræ, fellis inſtar, aloe, abſynthium, purgandi vim habent. Si vero meatus, quibus ad inteſtina bilis defertur, interclufi fuerint, ſtercora albicantia ſunt, & argillam ſimulant, corpus flavo colore tingitur, & venter valde ſiccus eſt. (*h*) Galenus tamen nonnunquam in

(*a*) Morgagn. Ep. an. 14. §. 45. (*b*) Theſ. 2 aſſ. 5. no. 5. (*c*) Obſ. 64. tab. ib. litt. A. (*d*) Anat. l. 1. c. 14. (*e*) Bidlo de animalc. in hepat. deteſt. (*f*) Hildan. cent. 1. obſ. 53. 60. Wepfer. cicut. aq. ſchol. hiſtor. 9. Ruyſch. de valv. c. 4. obſ. 18. & obſ. anat. 64. (*g*) Rudbeck obſ. anat. 19. (*h*) Aretæus de morb. diut. l. 1. c. 15.

in morbo regio fæces, quæ plerumque inalbeſcunt, flava bile vehementer tinctas conſpexit. (*a*) Siquidem fel non raro lentore, nonnunquam etiam nimia raritate peccat. In priori caſu jecur durum evadit, adſtrictior eſt alvus, fæcesque craſſæ, argillæ vel luto ſimiles, ægre dejiciuntur; in poſteriori ventris fluxus, cum febre, & liquidis flaviſque dejectionibus, aſſidue ſollicitat: illi morbo obnoxias reddit vita deſidioſa, ſine debitis corporis exercitationibus acta: hoc plurimum ii laborant, quibus facultates ſuæ inutiles ſunt; & qui genio indulgentes vino meraciori corporis humores accendunt (*b*).

Atque hoc quidem modo, ſi homo ſanus eſt, cibi potionesque deſcendunt. Diluuntur vero ubique per omnem viam humoribus inquilinis, ſolentque referre liquoris ſpumoſi atque aliquantum lenteſcentis ſpeciem, donec tandem, quæ parum nutriunt, ad noviſſima inteſtina craſſeſcere incipiant; nam cum ſaliva & muco, quem os, ſtomachus & ventriculus ſecernit, intime commiſcentur, acceditque in inteſtino duodeno (quod protinus id, quod accepit, in inferiores partes transmittit) & bilis utraque, & humor, qui ex pancreate fluit. Dein (cum omnes membranæ, maxime & fabrica & natura & uſu diverſæ, arteriis & venis per totam longitudinem ſingulari certoque modo & ordine diſpoſitis ſuperbiant) ab ultima

(*a*) De loc. affect. l. 5. c. 7. p. 504. (*b*) Mead. monit. med. p. 158. 159.

ma arteriolarum propagine, roris ad inſtar, in inteſtina ſubinde tenuis humor multum exhalat, fitque mucus in inteſtinis ope vaſculorum, quæ in tunica interna ſunt vel per corpuſcula in fundo eorum poſita; quales folliculi in laxo inteſtino intus undique diſperſi ſunt. Igitur dum liquida per ora vaſorum lacteorum intrant, ſumtorum pars, quæ magis craſſa eſt, pingui muco glandularum lubricata in coecum inteſtinum tranſmittitur, quo omne id, quod ſolvi poteſt, educitur; idque in foetu & recens natis vix conſpici poteſt. Inde autem durum ſtercus incipit, quodammodo figuratum & foetidum. Tum colon, late fuſum, atque ſinuatum, ſiccas & olidas fæces detinet, donec ſenſim impleatur rectum, quod cum quadam fere diſtentione nervorum exinanire cogimur; quamvis ne ſpiritus quidem, ſine voluntate, prorumpat. Neque absque ratione Tiberius Claudius Cæſar dicitur meditatus edictum, quo veniam daret, flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperiſſet. (*a*) Sæpe Fernelius mortuis corporibus inciſis, eorum, qui flatus cohibere conſueverant, colon inteſtinum ita laxatum fuiſſe invenit, ut brachium facile comprehendere poſſet; quibusdam etiam ſpiritus ex inferiore parte ſurſum ad ventriculum ferri expertus eſt, & pro crepitu ructus explodi (*b*).

Ubi

(*a*) Sueton. in ejus vita c. 32. vid. Nicandr. Antholog. L 2. c. 44. (*b*) Patholog. L. 6. c. 10.

Ubi autem fæces in rectum deſcenderunt, validas fibras, quibus ejus extima pars cingitur, vel mole ſua vel acrimonia irritando, cito dilabuntur ad muſculos, quorum interior anum, exterior cum ano cutim ſibi proximam contrahit, & adſtringit (*a*). Et ubi illa pars reſoluta eſt (*b*) vel exulcerata (*c*) vel inciſa, ſtercus invito elabitur, ſed, ut in ſanitate, coactum, & per longiora intervalla, cum, quod vulnus coli ſequitur, crebrum ſit, & fere continuum liquidi profluvium. (*d*) Et in morbis optimum eſt, ſpiritus absque ſono vel crepitu exire; cum ſono tamen prodire melius eſt, quam ibi revolvi: isque ſonitus dolorem vel delirium ſubeſſe teſtatur, niſi æger fortaſſe ex induſtria crepitum emittat, idque ſanus facere ſolitus ſit. (*e*) Alvus quoque mala eſt in febribus, quæ ſine voluntate erumpit, & cerebrum affici ſignificare videtur, nam ſi ei vulnus infligitur, fæces ſponte dilabi, ſæpe viſum fuit. (*f*) Medulla etiam, quæ in ſpina eſt, diſciſſa vel percuſſa, femina reſolvuntur, ſenſus intercidit, interpoſito tempore aliquo, ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel urinam, vel etiam ſtercus excernunt; (*g*) etiam-

(*a*) B. S. Albin. hiſtor. muſc. p. 677. (*b*) Galen. de uſ. part. l. 4. c. 19. t. 4. p. 392, de loc. affect. l. 6. c. 4. t. 7. p 514. ib. l. 1. c. 6. p 399 Foreſt. l. 10. obſ. 94. (*c*) Stalp. v. der Wiel. c. 1. obſ. 89. Galen. de motu muſcul. l. 2. c. 8. t. 5. p. 393. (*d*) B. S. Albin. acad. annot l. 2. p. 33. (*e*) Hipp. prognoſt c. 7. Ed. Mack. t. 1. p 66 Coac. 495. ib. p. 180. (*f*) Marchett obſerv. med. 15. (*g*) Hipp. de artic. Charter. t. 12. p. 390. prædict. l. 2. c. 11. Ed. Mack. t. 1. p. 132 Paul. Æg. l. 6. c. 117. Celſ. l. 5. c. 26. l. 8. c. 14. Galen. de loc. affect. l. 6. c. 4. t. 7. p. 515. de anat. admin. l. 8. c. 5. t. 4. p. 376. Du Verney mal. des os t. 1. p. 241.

etiamſi inter initia alvus nonnunquam ſupprimatur. (*a*) Idem caſus manet eos, quorum ſpina gibba medullam comprimit (*b*) ſiquidem nervi qui ad muſculos anum cingentes feruntur ex lumborum & ſacris proveniunt. (*c*)

Et hi muſculi, ſi ea, quæ excreturi ſumus, ſint lævia, aut liquida, eodem tempore relaxari videntur, quo levatores ani, poſticam & transverſi perinæi extimam laxioris inteſtini partem premendo, ſtercora per illud deorſum acta expellunt. (*d*) Ventres animalium diſciſſi fæces reddiderunt. (*e*) Igitur inteſtina craſſiora, dum adſtringuntur, contenta in rectum inteſtinum, quod excernit, depellunt. (*f*) Veri etiam ſimile eſt faſciolis ſuis coli cellulas adduci, & concuti (*g*) & fortaſſe ſuccum ex appendice in coecum inteſtinum exprimi, multumque muci, ex lacunis glanduliſve juxta anum poſitis elici. Si vero ſtercus aridum, & inteſtinum ſiccum, vi fere convulſiva ſimul thorax arctatur, & ſpiritum recipit, atque ventris muſculi maximeque ſeptum transverſum abdomen contrahunt, & quæ id continet premunt, expulſionem adjuvant, quam nonnulli, manibus ventri admotis, promovere nituntur (*h*); quarum etiam ope, ſi quan-

(*a*) Tulp. l. 1. obſ. 27. Saviard. obſ. 30. du Verney ib. t. 2. p. 115. Petit. mal. des os. t. 1. p. 101. (*b*) Hildan. c. 6 obſ. 74. (*c*) Winsl tr. des nerſſ. §. 304. (*d*) B. S. Albin. hiſt. muſcul. p. 677. (*e*) Wepfer. Cicut. aq. c. 20. hiſt. 1. 2. Haller. act. Gott. t. 2. p. 147. Foelic. diſſert. de mot. periſtalt. (*f*) vid. p. 22. 27. (*g*) Valſalv. diſſertat. anat. 1. Morgagn. Epiſt. anat. 14. (*h*) De loc. affect. l. 6. c. 4. t. 7. p. 515.

quando veſica reſoluta eſt (*a*), vel in ſcrotum delapſa, urina interdum expellitur. (*b*)

Sed quamvis pro lubitu venter conſtringi, & ſpiritus cohiberi poſſit, minime tamen ex voluntate fæces deſcendunt; interdum vel retento diutius ſpiritu, vel ſub gravi faſce inteſtina circa ilia prolabuntur, alvus vero nihil reddit.

Igitur per certos circuitus ſtercus excerni conſuevit, ſed varios in ſingulis hominibus, ſicut disſimilem habent rationem, pro diverſa temperie, ætate, victu, vel loco. Alios enim ſemel, aut bis, adſtricta, alios reſoluta alvus, ter quaterve de die exercet. Alvum adſtringit labor, ſedile, cibus imminutus, vel ex ventrem contrahentibus, exigua potio, & poſt cibum quies, venus denique crebra: contra ſolvit aucta ambulatio atque eſca, motus, qui poſt cibum eſt, ſubinde potiones cibo immixtæ. (*c*) Quibus vero juvenibus fluxit alvus, plerumque in ſenectute contrahitur, & quibus in adoleſcentia fuit adſtricta, ſæpe in ſenectute ſolvitur; melior eſt autem in juvene fuſior, in ſene adſtrictior. Aquilo quoque ventrem adſtringit, & auſter alvum ſolvit. Diu quoque, etiamſi, ubi pluribus diebus non deſcendit alvus, plerumque morbus inſtet (*d*), ſuppreſſa legitur ſine omni noxa; tum quicquid intus nocet, & corruptum eſt, flatu excutitur, venterque aridas fæces reddit. Juvenis Braſſavolus, optima ſanitate gaviſus, modo per novem

(*a*) Morgagn. adv. 3. Animadv. 39. (*b*) Ruyſch. adv. 2. p. 23. obſ. an. 98. acad. de chyrurg. t. 2. p. 17 (*c*) Celſ. l. 1. c. 3. l. 2, c. 29. 30. (*d*) Glaſſ. de febr. comm. 7.

vem modo per duodecim dies, nihil, maxime inter equitandum excrevit; ex conſuetudine tamen veſci ſolitus multum per renes & ſudore emiſit, fæcesque adeo torridas reddidit, ut nulla ſpurcitie quid inquinarent (*a*). Cæterum ventrem probe concoxiſſe intelligimus, ſi is neque multum ſolito citior, neque tardior eſt; ſi malagmata copia iis convenientia quæ aſſumuntur, reddit; eaque & fulva, & mollia, & æqualia, per anum tranſeundo figurata, & non valde olentia ſunt.

## CAPUT II.

*Qualia cita alvus in quoque morbi genere reddat.*

Cum de his dictum ſit, quæ venter ſecunda valitudine reddere aſſuevit, ad alvum nimis fuſam veniendum eſt, quam διάῤῥοιαν Græci vocant. Eſt autem frequens & copioſa per alvum egeſtio excrementorum liquidorum, ſive ex cibo, potuve, ſive ex humoribus quibuſcunque undecunque delatis in inteſtina exorta fuerint, vel uti Celſus: dejectio, ubi & liquida alius, & ſæpius quam ex conſuetudine fertur: in qua interdum tolerabilis dolor eſt, interdum graviſſimus. Id malum vulgo aliud, aliudque nomen habet, prout ſe intendit. Omne in alvi quaſi perfluvio conſiſtit. Ideoque Celſo ventris flu-

(*a*) Schenck. p. 397. vid. Fernel. pathol. l. 6. c. 10. act. Hafniens t. 4. p. 164. Ab Heers obſ. 29. Stalp. v. der Wiel. cent 1. obſ. 55.

fluxus, Lommio & Fernelio alvi profluvium audit. *Loop* a Belgis nominatur. Sed hoc, dum modicum eſt, atque ſinceriores humores ſine gravi dolore excernuntur διάῤῥοια; ubi vehementius eſt, ut dejicere æger ſine torminibus & alvi difficultate non poſſit, δυσεντερία appellatur: quod, quamvis plerique alvi fluxum cruentum reddant, recte tormina Celſus vocat: nam in hoc, frequenti dejiciendi cupiditate, modo cum ſtercore aliquo, modo cum quibusdam quaſi mucoſis, ſemper quoque liquida ſed cum ingenti dolore, excernuntur: interdum ſimul quædam carnoſa deſcendunt: interdum tamen nullus cruor ex inteſtinis emanat. Tormina quæ Neomagi contagio fiebant, non in ſanguinis profluvio conſtiterunt. (*a*) Neque etiam ea, quæ milites in caſtris excruciarunt. (*b*) Similia quoque Londini ſine hoc viſa ſunt (*c*), nam, ubi primus rigor & horror ſe remiſerat, calor in toto corpore ortus, ſimul & ventris dolorem attulit, & poſt hunc, dejectiones crebras, easque omnes mucoſas niſi quod ſtercoris quid, absque multo dolore, nonnunquam interponeretur cum ingenti cruciatu, & moleſtiſſimo, quoties quidquam emitteretur, viſcerum omnium quaſi prolapſu: atque modo leviter ſubcruenta deſcendebant, modo ne minimum quidem ſanguinis, per omnia morbi tempora, profluxit. Hinc Syden-

(*a*) Degner. hiſt. Dyſent. p. 21. (*b*) Pringle obſerv. on the Diſeas of the Army. p. 215. (*c*) Willis pharm. rat. p. 46.

Sydenhamus, qui ob rigorem, æſtum cæteraque febribus ſolemnia mala, cum pro febri ſui generis ad inteſtina delata habebat, dyſenteriam, dummodo dejectiones ſunt, cum ventris torminibus & colluvie mucoſa, vocari poſſe putavit: cujus ope quod intus læeſurum erat, utiliter effundebatur. (*a*) Præter hæc, ſi plenior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior factus eſt, ſæpe, citra vehementes dolores, qui torminoſos male habent, ſanguinem, per inferiora, reddit. Et quibusdam tamen parum recte, qui purgationem hanc habent, *Dyſenterici* vocantur, adeo ut ipſe Hippocrates iis, quibus propter ſphacelum pars deſciſſa, vel decidua fuit, dyſenterias exſpectandas eſſe moneat, ſed nec diuturnas, nec lethales (*b*); ſiquidem oriuntur a vaſis ſanguinis copia adapertis: ſic ut ſimilis affectus ſit, ac ubi ſanguinis per quædam etiam velut ora venarum, quas αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant, non in ano ſed in inteſtinorum anfractibus, aut ad initium recti longe ab ano, profuſio fiat. (*c*) Hujusmodi etiam profluvia, quæ mutilato membro, aut ubi quis ab exercitatione ad otium ſe convertit, ſuperveniunt, tempore Galeni, cruentas *dyſenterias* nominarunt (*d*).

Nonnunquam autem cibi potionesque, quas ventriculus recipit, ex inferioribus partibus non mutata redduntur. Λειεντερία Græce vocatur. Atque ex tormi-

(*a*) P. 179. 182. 601. (*b*) De artic, Charter. T. 12. p. 450. 451. (*c*) Galen. comm. in. l. c. (*d*) Id. de loc. affect. T. 7. p. 407.

minibus interdum inteſtinorum lævitas oritur, quæ continere nihil poſſunt, & quicquid aſſumtum eſt, inconfectum protinus reddunt. Cibi dejiciuntur liquidi, incorrupti, dolor non adeſt, corpus autem extenuatur. (*a*) Atque in hoc morbo, non ſinceriores humores, ut in diarrhoea, ſed epulæ, potionesque, ſine dolore, crudæ, inæquales, aquoſisſimæ ſic cito dejiciuntur, ut nihil fere de forma amiſerint ſua, citra ſanguinis aliquem, aut bilis complexum (*b*). Aretæus Cappadox tamen incoctum liquidi alimenti profluvium, διάῤῥοιαν vocat. (*c*) commodeque inteſtinorum lævitas, ſub hoc nomine, comprehendi poteſt.

Proxima vero huic inter alvi profluvia, chyli dejectio eſt, una cum fœcibus alvinis, quam affectionem cœliacam nominant: nunc video, ſi lævia, & æqualia, ſuique ſimilia, ſub chyli aut cremoris ſpecie profluunt, hoc nomen ſervari, ventris fluorem inæqualem & diſſimilem, in quo cibi nec obtriti, nec confecti ſubſtantia aperte cognoſcitur lienteriam, appellari (*d*); quamvis minus ſubtiliter Galenus in his diſcretis nominibus utatur. Ea quæ lienteriæ & coeliacæ affectiones vocantur, communia ventriculi atque inteſtinorum vitia eſſe, credidit, atque ex eorum imbecillitate oriri, quia retinere contenta, ne exiguo quidem tempore, poſſunt, ſed omnia ſubito excernunt, ſenſusque qua-

(*a*) Hipp. de affect. c. 7. Ed. Mack. T. 2. p. 311. (*b*) Lomm. obs. med. l. 2. p. 156. (*c*) De morb. diut. l. 2. c. 7. (*d*) Fernel. pathol. l. 6. c. 10.

quaſi ſtercoris eſt, ut urinæ difficultas crebro hominem mingere cogit (*a*).

At in vitio, quod τεινεσμὸν Græci vocant, æque, atque in torminibus, frequens deſidendi cupiditas eſt, æque dolor, ubi aliquid excernitur: deſcendunt autem pituitæ muciſque ſimilia, interdum etiam leviter ſubcruenta, ſed his interponuntur ex cibo quoque recte cocta. Et, quem id prehendit, ei ſanguis & mucus ſecedunt, dolor in inferiori alvo oritur, maxime ubi ad ſeceſſum devenit. (*b*) Non diſſimile eſt id genus, quod crebra & inanis egerendi voluntas a Plinio nominatur. (*c*)

Præterea mentio quoque facienda eſt choleræ: quia commune id ſtomachi atque inteſtinorum vitium videri poteſt. Nam ſimul & dejectio, & vomitus eſt: præterque hæc inflatio eſt, inteſtina torquentur, bilis ſupra infraque erumpit, primum aquæ ſimilis, deinde ut in ea recens caro lota eſſe videatur, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia. Sed hic quidem morbus inter inteſtina, ſtomachumque verſatur ſic, ut, cujus potiſſimum partis ſit, non facile dici poſſit.

His propoſitis, pimum cujuslibet ſpeciei hiſtoriam ex optimis & veterum & recentiorum monumentis conflatam, qua poſſum, ſedulitate fideliter tradam; tum ordine, prout res ſeſe offert, ſubnectam, quæ ad cauſas & curationes uniuscujuſ-

(*a*) De loc. aff. l. 6. c. 2. T. 7. p. 509. (*b*) Hipp. de affect. Ed. Mack. T. 2 p. 311. 312. (*c*) L. 38. c. 14.

juſque pertinebunt, quodlibet quidem profluvium ad ſuam ſpeciem & claſſem referendo, nominum vero ratione non nimis ſuperſtitioſe habita. Idque eo minus mihi vitio verti poſſe exiſtumo, quo majori libertate, & antiqui, & noſtri ſæculi ferme omnes hac in re uſi fuiſſe videntur, probe gnari, contemplationem rerum naturæ, rigida mathematicorum norma, comprehendi non poſſe. Δυσεντερίας & tormina minus periculoſa Hippocrates & Celſus perhibent, dum febres cæteræque acceſſiones hujus morbi abſint. λειεντέρια ſive inteſtinorum lævitas, qua quicquid aſſumtum eſt, inconfectum protinus reddunt, facilius a teneris ætatibus depelli dicitur, ſi ali corpus incipit. (*a*)

Cum itaque alvi profuſiones magna recipiant diſcrimina: eæ omnium optime, pro varia, quæ excernitur, materie, in ſuum quemque locum, & ordinem, ponenda arbitror: mucum ſiquidem alia, alia lympham, alia gluten educat: bilem alia, alia ſaniem: alia eſt ſanguinea, alia purulenta: aliam denique alienigena quævis proferre, contendunt.

(*a*) Hipp. l, 2. prædict. c. 13. Ed. Mack. T. 1. p. 136. Celſ. l. 2. c. 7.

C A-

## CAPUT III.

### *De Ventris fluxu mucoſo.*

Tenuis humor, qui ſemper per villos & ex folliculis deſtillat, venulis reſorptus, tergoribus ventriculi atque inteſtinorum, mucum, quo nervi hic diſperſi tegantur, apponit: ſiquidem extrinſecus: ubi acria, quibus veſcimur, oculo, vulneri, aut nudo nervo applicantur, dolor intolerabilis fit. Igitur, ſi pituitæ muciſque ſimilia deſcendunt, olea, veluti amygdalinum vel ſimile, eas partes, inſtar muci obliniendo, tormina levant, quæ modo per ſe fiunt, modo validis medicamentis excitantur (*a*). Frequenter a purgatione æque, ac in morbis pituitam, utique poſt extremam alvum, ſequi, viſum eſt. (*b*) Mucus vero non eo ſolo fine, ſed ut lubricitate quadam fœces deſcendant, datus eſſe videtur: Nam, in inferiori alvo, ubi excrementa ſicceſcere incipiunt, plures glandulæ ſunt, pluſque muci eſt. Et cui ſano, ſimulac alvus non reſpondet, crebra purgatione mucus evocatur, is ventrem adſtrictam habet. Lubricantia quoque, quoniam ea alvum molliunt, medicamentis, quæ purgandi vim habent, annumerari ſolent, veluti ſunt olea blanda, jura pinguia, decocta emol-

(*a*) Kaau de perſpirat. p. 120. (*b*) Stalp. v. der Wiel. c. 1. obſ. 62. vid. Lieberkuhn. diſſ. de Villis Inteſt. p. 15. 17. 18.

mollientia, ſaccharum, mel, caſſia, quæ proprie ſtercus ducunt, & τῶν ἐκκοπρότικῶν nomen merentur. Antiqui cibos, potioneſque, qui ſimul & alunt, & ventrem molliunt, aſſumſerunt. Plurimi, quoties quid muci venter effudit, toties, ne humor, uti vocant, ſalſus inteſtina exaſperet, vehementer alvum lotionibus ſolicitare cenſuerunt; ſed mucus, qui inteſtinis innaſcitur, per has magis profluit, dolor atque exulceratio, nudatis nervorum papillis, intenditur. Itaque magna cura animadvertere oportet, utrum hic mucus, quo naturaliter inteſtina veſtiuntur, an pituita, quæ in deſtillatione, vel in gravedine fit, huc ſe conferat. Nam interior tunica ventriculi atque inteſtinorum, ejuſdem ferme indolis eſt, ac illa, quæ cum naribus fauces, & ſtomachum ambit, & quam Schneiderianam appellant, atque non multum a gravedine diſtans malum patitur. Quæ, ſi nares occupat, tenuis primo per has pituita profluit, mox craſſior facta, eas claudit: ſi circa fauces eſt, has exaſperat, vocem obtundit, tuſſiculam movet (anginam catarrhoſam vocant) ſub eadem vero ſalſa eſt ſaliva: ſi pulmonem quoque afficit, præter ſternutamenta, & tuſſim, eſt etiam capitis gravitas, laſſitudo, ſitis, æſtus, biliosa urina. Peripneumonia notha vocatur. Hæc autem omnia κορύζας Hippocrates nominat. At, ſi membranam infeſtat, quæ ſtomachum & inteſtina ſuccingit, pituita ex villis, folliculisve, de quibus proxime dictum eſt, copioſius prorumpit, ac venter mucoſa reddit. Sæpeque fit, ut a naribus per fauces in

in-

inteſtina id vitium progrediatur: quo cibos non appetit æger, antequam mucus ſive arte, ſive per ſe, alvo effluat. Antiqui humores de capite in has partes deſtillare putabant: atque infantes, quibus frequens dormiendi neceſſitas eſt, alvus mucoſa exercet, quoniam omnem & oris & narium pituitam, & ſputa, quæ e pulmone in fauces adſcendunt, fere devorant.

## CAPUT IV.

### *De ventris fluxu aquoſo.*

### §. I.

Solet autem interdum etiam tenuis humor deſcendere; ſolet & interdum ex laxo inteſtino multa aqua, torminum modo, profluere. Eaque multos ab hydripico morbo liberavit. (*a*) Quæ inter cutim eſt, in inteſtinorum lævitatem feliciter commutata eſt (*b*). Atque hic ars quoque, naturæ æmula, alvum mollire conatur.

Levius vero ventris profluvium eſt, ubi aquam tantummodo refert. *Diarrhoea lymphatica* vocatur. cinerei coloris pejus eſt, Diarrhoeam cineream (*graauwe loop*) Belgæ appellant. Utrumque ab humo-

(*a*) Hippocr. coac. 457. Ed. Mack. T. 1. p. 177. coac. 482. ib. p. 178. aretæus de morb. diut. L 2. c. 9. p. 61. l. c. (*b*) Ib. c. 10. p. 63.

more blando, aqueo, qui ſemper de innumeris arteriolis, in cavum ventriculi, atque inteſtinorum copioſe deſtillat, provenit. Hunc (gaſtricum, atque entericum nominant) ſi homo ſanus eſt, magna ex parte venulæ reſorbent. (*a*) Interdum autem in minimis arteriolis laxitas, vel in venis obſtructio, ſic ut liquor ex inteſtinis profluat, oritur: nam, ut relaxatis quoque vaſculis, quæ ſub firma valetudine inſenſibiliter perſpirant, ſudor evocatur: ſic ea, quæ in cavum tubi inteſtinalis hiant, ubi reſolvuntur, humores magis ſpiſſos effundunt. Suntque hæc alvi profluvia, quaſi ſudores inteſtinorum, qui ſuppreſſa perſpiratione moventur, fitque quaſi inverſa perſpiratio. Plurimi autumno, ubi corpus & æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxatum, ſubito frigore excipitur, in lævitatem inteſtinorum, qua humor multus aquæ ſimilis exit, etiam pluribus diebus incidunt. (*b*) Sed ejusmodi dejectiones, ſæpe pro valetudine ſunt. Frigus vitare, cibum ſiccum capere ſatis eſt: ſi manſit, vehementer omnia, præter ventrem, perfricare, ad ignem lumbos, ſcapulasque admovere, cibis uti, ſed ventrem contrahentibus, vino non multo, meraco. Verum ſurrexiſſe etiam, quibus alvus ſuppreſſa eſt, diluculo, & hora prius aſſueta, profuit (*c*). Quantum enim perſpirationi detrahitur, tantum alvo accedit.

Quod

(*a*) Kaau ib. p. 87. 82. 93. 201. 202. (*b*) Piſo de morb. a colluv. ſeroſ. ſect. 4. c. 1. p. 260. (*c*) Willis pharm. rat. ſ. 3. c. 1. p. 35.

Quod ſi vero aut vaſa inteſtinorum vehementius reſoluta ſunt, aut ex viſcere, quod παγκρέας Græci vocant, nimius humor manat, ipſum ſanguinis ſerum excernitur, corpus fit aridum, anima deficit; ad hæc febris lenta accedit: quibus concurrentibus non mirum eſt, ſi Batavi profluvium cinericeum, non ſecus ac peſtim, timent: vulgus, quod ſemper alvi profluvio id, quod intus nocet, utiliter effundi putat, errat: nam hæc ſpecies bonos humores educit, vireſque conſumit. Et, cum liquidiſſima, quæ cerebrum recipit, per dejectiones excernuntur, animi deliquia & couvulſiones inſtant. Æque in eo quoque, cui a medicamentis ſerum diffluere incipit, anima deficit. Fortiſſimo & ſucci pleno, ſi a ſcammoneo ſubita humoris profuſio fit, totum corpus ſubſidet, oculi fiunt cavi, collabuntur tempora, genæ flacceſcunt, pulſus debilis eſt. Verum in morbis, ut ſimile aquæ quiddam profluit, ſic ſanguis aliquando exit, ore alicujus vaſis patefacto.

§. II.

Neque vero ventri cum cute tantummodo conſenſus eſt, fit etiam cum ipſa quoque ſaliva, quæ eo magis ſecerni ſolet, quo alvus adſtrictior eſt. Quibus inflationes increſcunt (hypochondriacos vocant) eos multa tenuis ſalivæ ſputatio exercet, ſed venter ſuppreſſus parum reddit, & intus rugit, flatibuſque turbatur. Pancreas quoque ſalivam, ſicut glandulæ, quæ pone aures poſitæ ſunt, emittit:

ejusque ſuccus, ubi copioſe in inteſtina deſtillat, idem malum affert, ac ſaliva per fauces nimis reſorpta. Quibus ſupra conſuetudinem ſaliva ſecernitur, his plerumque etiam immodicus humor ex pancreate prorumpit, & per duodenum ad vacuum ventriculum fertur. Aquæ in eo fluctuantis ſenſus eſt, maxime jejunis. Poſt prandium, ubi ſuccus cibo inmixtus deſcendit, melius ſe habent: exit enim ex hoc viſcere humor ſpiſſus, ſalſus, quem ſæpe ſani, vacuo ſtomacho, prono thorace eructant: isque citiſſime circuitum, per inteſtina facere conſuevit. Igitur, ſi graviter erumpit, & ex corpore exit, æque conſumere hominem poteſt, ac cum ſaliva ex ore movetur. Æque Mercurio, quando ejus vis ad alvum ruit, elicitur. Nimiumque ſalivæ fluorem alvus vehementius ducta comprimit. Inter ſalivandum vero ex pancreate liquor non fluit in inteſtina, vel parciſſime, foeces craſceſcunt, venter adſtrictus etiam pluribus diebus nihil, tandem ſummo nixu, ſcybala duriſſima, quibus ſæpe rectum inteſtinum afficitur, ita ut ſanguis quoque effluat, reddit.

Mercurius, plurimæque compoſitiones, quæ ex eo fiunt, quacunque via ſanguini vitali miſcentur, globos rubros ſolvunt, ſeroſos flavos minuunt: omnesque corporis humores in laticem vertunt fluidum, tenem, cadaveroſum: quo cito per quaſvis vias erumpunt, & exſudant: neque refert, utrum homo ſanus ſit, an Venere corruptus. Plerumque vero ſalivam ex ore evocant, maxime ſi fotus accedit, calidus capitis, cervicis, colli, & faciei; at-

atque ubi anima foetere incipit, ubi gingivæ dolere videntur, os ſubinde egelida colluitur aqua. Interdum autem idem vivum argentum, ut luem curet, ſalivas ex inteſtinis elicit. Litu Mercurii alvum modo uno die, modo cum torminibus fluxiſſe N. Maſſa teſtatur (*a*): eamque Petronius, cum certiſſime a lue liberet, ſi vires ægri patiuntur, minime ſupprimendam, ſi ferre nequeunt, ſiſtendam eſſe dixit (*b*). Id arte quoque fieri poteſt: nam, ſi ante unctionem, & ubi ungitur corpus, alvus mollita lotionibus ducitur, Mercurius facile tranſit in inteſtina: ſiquidem ventris fluor, cum fit, ægrum, antequam ſaliva bene profluit, invadere ſolet: eaque non, niſi alvo adſtricta, copioſe effunditur (*c*). Olim, ſimulac ex foetido ſpiritu, & gingivarum dolore, ſalivas inſtare percipiebant, materiem motam, quæ ad os tendebat, alvi ductione utiliter evocare conabantur (*d*). Neque tamen verum eſt, quod P. Deſaultio videbatur, (*e*) qui quicquid ſomniaverat, id ilico habebat pro certo, & explorato, (*f*) ſatius eſſe alvum quam ſalivas movere: nam ſi ex Mercurio, interpoſitis rebus alvum ſubducentibus, leviores ſint dejectiones, leviſſima tantum morbi ſpecies ſanabitur: ſi ingens profluvium oritur, pernicioſus humor linguam & gingivas rodere aſſuetus, ægrum in peſſima tormima præcipitabit. Itaque ſi ejus vis uit ad

(*a*) Vid. Aphrodiſiac. p. 97. A. (*b*) Ib. p. 1299. (*c*) Sydenh. p. 339. (*d*) Vid. Aſtruc. de morb. ven. p. 164. 1117. (*e*) Diſſert. ſur les Malad. Vener. (*f*) Aſtruc. ib. p. 1096.

ad alvum, papavere, & quæ perſpirationem augent, opus eſt: ſi nimia ſaliva nocet, aliquantulum leni purgatione coercenda eſt. Qui hic bene dividit, is tuto imperat. In quibusdam tamen Mercurius fallit, ut vix ulla ſalivæ aut ventris fluxus indicia ſint: ſed his, quibus alvus non reſpondet, vix etiam ſaliva ore elicitur. (*a*)

## §. III.

Alterius quoque generis morbum, id eſt, variolofi, natura modo dejectionibus, aut largo ſudore vexaſſe, modo ſalivæ fluxu finiviſſe legitur: (*b*) & intra idem tempus fluorem ventris populum prehendiſſe. Quæ cum eædem febres eſſent, quibus diverſa tantum mala accedebant, ex toto, ſic hæc, ut illa curari debebant. (*c*)

Ubi vero vatiolæ conſiſtunt, morbive decedentis notæ ſunt, perſpiratio prohibetur, humores ad interiora pelluntur, & ſi ingens puſtularum numerus occupavit, ſalivam adultis, ventrem pueris, maxime, ubi confluunt, movent: eſtque ea evacuatio, quæ quocunque tempore incidit, ſemper in hoc morbo manere debet, tam neceſſaria, ac puſtulæ ipſæ, aut faciei & manuum tumor (*d*). Temeraria muliercularum medicina, cum utiles fluxus terruerunt, multa infantum millia interemit (*e*). Pueros, cum alvo liquida, a variolis ſanari, quo-

(*a*) Sydenh. p. 341. (*b*) Id. p. 163. 164. (*c*) Ib. 169. 170. (*d*) Sydenh. p. 138. 592. (*e*) Ib. p. 165.

quotidie videmus: interdum ſine hac vix quiſquam, cui confluunt, evadit (*a*). Atque in hoc quoque genere ut alvo puerilis ætas ſic ſalivæ fluxu corpora ſeniora tentantur: iſque non minus, quam puſtulæ aut manuum tumor præſidio eſt. Sydenhamus unicum eo morbo implicitum, in quo ſpumæ non profluebant, vidit. (*b*) Itemque ſemper fere, ſi cutis exaſperata eſt per puſtulas continuas, ſaliva exercet: fluitque ea (ſecus ac vulgo traditur) nonnunquam incredibiliter intra 24 horas, ubi variolæ diſcretæ, ſed confertiores ſunt (*c*) aut inordinatæ. (*d*)

Frequens autem ſaliva, ac ſi Mercurio excitaretur, quamvis non ita male olet, cum in confluentibus maxime prodeſt, ſummopere annitendum eſt, ut manet: neque ea temere cohibenda eſt: quamdiu enim funditur, æger omni periculo vacat. Eam non expuiſſe in hoc morbo, vel ex toto ſpuere deſiiſſe, peſſimium eſt (*e*). Plerumque tamen circa diem undecimum fluxus per ſe deſinit: quo ſuppreſſo, omnes fere, ſi faciei & manuum tumor non ſubſequitur, & diutius perdurat, opprimuntur: (*f*) plurimi etiam, licet vehementer cutis aſſurgat, occumbunt (*g*) ſæpe ne quidem ulla arte excitari poteſt ſalutaris tumor (*h*). Adeo ut parum in natura ſpei, vix quidquam in conſue-

ta

(*a*) Bagliv. prax. l. 1. p. 90. (*b*) p. 137. 138. 359. (*c*) Freind. Epiſt. de purgant. in ſecund. variol. febr. (*d*) Sydenh. p. 201. 202. Huxham. obſ. de aer. T. 2. p. 179. (*e*) Id. p. 138. 154. 156. 140 Freind. de febr. comm. 7. Mead de variol. c. 4. (*f*) Sydenh. p. 160. 592. 138. 140. 154. 376. (*g*) Ib. p. 160. (*h*) Mead. Epiſt. ad Freind.

ta medicina ſit. Quod ſi enim, inter initia, faeces, inſtar pulveris e limatura acicularum, reſperſa apparet, quamvis æger morbum ipſum non difficulter ferre videatur, mortem febre ſecundaria conſecuturam eſſe, ſatis certo prædici poteſt (*a*) eumque vix ulla medicina periculo ſubtrahit (*b*). Ob quam cauſam boni medici eſt, protinus, ſi qua ejus morbi ſuſpicio eſt, ſumma experiri remedia, utpote cum vulgata auxilia non reſpondeant, plurimi moriantur, & nemo, niſi ſponte, evadat. Sydenhamus, in ipſa acceſſione, cavere voluit multo & puro aëre, ſanguinis detractione, medicamentis refrigerantibus, ne variolæ jamjam erupturae confluerent (*c*) eas tamen interdum, quodcunque ſequatur curationis genus, confluxuras eſſe, profeſſus eſt (*d*). Minus utique per ſanguinis miſſionem mature morbo occurrere prodeſt, ac cubare quam maximo conclavi. Juvencula, cum ante, ſanguine aliquoties detracto, articulorum dolore fuiſſet liberata, peſſimis confluentibus, undecimo die, obiit (*e*) Plures etiam, cum vena inciſa, & frigido aëre, malos affectus anteverterent, hoc genere tentati fuerunt (*f*). Quo magis falluntur, qui per ſanguinis miſſionem variolas, intra juſtos limites, coërceri poſſe concipiunt.

Ideoque celebris medicus Mead, cum Londini, anno 1708, ample ualetudinarios in æde, quæ a di-

(*a*) Sydenh. p. 356. (*b*) Ib. p 357. (*c*) Ib) p. 149. 380. (*d*) p. 366. 149. (*e*) p. 361. 380. Freind. comm. 7. de febr. (*f*) Med. Eſſ. Edinb. T. 3. art. 2.

divo Thoma nomen habet, curaret, quia nonnullos variolis, quæ maxime peſtiferæ videbantur, implicitos obſervaverat, orto, circa nonum, aut decimum morbi diem, vel & citius ventris fluxu, præter ſpem, incolumes evaſiſſe: in quibus alvus ex toto adſtricta erat, ad medicamenta, quæ eam molliunt, ſub finem morbi confugit: & cum plures, qui in præcipiti jam erant, hac via ſervati fuiſſent, eam amico ſuo Freindio expoſuit, quam is ſecum & multi poſtea medentium, tam in urbe, quam ruri feliciter tenuerunt (*a*). Neque dubium eſt, quin vix quiſquam, cum in graviſſimis caſibus alvus etiam pluribus diebus utiliter fluat, cui per hanc modo ſolutam, modo, ut ſuſtinere ſpatium affecturi mali poſſit, compreſſam, noxiam materiem ſubtrahunt, periclitetur. (*b*). Nam & Freindius, qui vix ullum, graviter eo morbo correptum, niſi cui declinante febre copioſe urina, aut venter profluebat, evaſiſſe dicit, citamque ſemper alvum, ad infantum ſalutem, plurimum contuliſſe, reperit alvi ductione per varium morbi curſum, ægros cujuſvis ætatis, cujuſvis corporis, nullo diſcrimine ſexus, quocunque cœlo, quocunque anni tempore, omni periculo vacare (*c*). Et in variolis malignis, quæ auno 1729 Londini graſſabantur, Huxhamus, cum vix ulla alia medicina proficeret, ſæpius liberis ſuis cariſſimis, & quam plurimis aliis feliciter alvum ſubduxit.

(*a*) Mead. de Variol. in præfat. & cap. 3. (*b*) Id. Epiſt. ad Freind. (*c*) Freind. comm. 7. de febr.

xit. (*a*) Igitur nunquam non, ſi materies purulenta, quæ variolis jam inclinatis copioſe ſanguinem intrat, neque per renes excerniter neque in artus pro dignitate morbi abſcedit, utilis eſt liquida alvus maxime ubi perſpirationem cutis obturata prohibet. (*b*)

His autem omnibus conſenſus, quo ejuſdem indolis humores ſæpe effectu æque ſalutifero per os & infrà funduntur, ſatis intelligi poteſt.

## C A P U T V.

### *De Dejectionibus glutinoſis.*

Gluten quoque muco naturali tenacius, alvo exit. Itaque ſequi videtur, ut de hoc dicam. Eſt autem pituitæ quædam ſpecies, quæ, cum intolerabili dolore, plerumque excernitur, gelatinæ inſtar tremula, inſipida, inodora, tactu interdum frigidiſſima, pellucida. Vitream antiqui vocabant.

Sed rarus morbus difficulter quoque cognoſcitur; diu enim hominem, antequam quid prodit, excruciat. Galenus in ſe ipſo deceptus calculum in alterutra venarum, quas οὐρητῆρας Græci vocant, ſentire putabat (*c*). Medici, integris ſex annis, car-

(*a*) Obſervat. de aere T. 1. p. 36. 37. (*b*) Glaſſ. comm. de febr. p. 149. (*c*) De loc. affect. l. 2. c. 5. T. 7. p. 405.

carcinomate Caroli V legatum laborare credebant. (*a*) Uterque alvi lotionibus curationem recepit. (*b*) Maſculi quoque bini, quoties alvum exonerabant, pituitam ovi albuminis ſimilem, ſæpe in pelvi, a reliquis fœcibus ſeparatam, non ſine torminibus, reddiderunt: hique medicamentis, quæ ventrem adſtringunt, & calefaciunt, per os & ſubtus datis, brevi ſanitatem recuperarunt (*c*).

Sed in hoc quidem morbo ſæpe non multum ſibi vendicare ars, aut natura poteſt. Itali, quem vehemens dolor ſuſtulerat, plenius inteſtinum inciſum pituita obſeſſum apparuit, adeo ut digiti tantum craſſitiei foramen, ad fæces transmittendas, eſſet (*d*). Id etiam alteri, ex ventris ſuppreſſione mortui, craſſa pituita penitus clauſit. (*e*) Quidam tamen gulo humorem glutinoſum, limi inſtar, ano excrevit ad craſſitudinem pedis. (*f*)

## CAPUT. VI.

### *De bilis profuſione.*

§. I.

Sæpe vero bilis, ſi veſicula tumet, aut motu, nervorum diſtentione, vel quicquid animum vehe-

(*a*) Fernel. pathol. l. 6. c. 9 p. 395. (*b*) Vid. loca citata. (*c*) Stalp. v. der Wiel. cent. 1. obſ. 62. (*d*) Salmuth. cent. 1. obſ. 78. p. 49. (*e*) Fernel. l. c. (*f*) Duret. in Holler. l. 1. de morb. intern. c. 44. p. 333.

hementer perturbat, irritatur, ſupra infraque e-rumpit primum flava, dein viridis, nonnunquam nigra, vel varia, ſiquidem color, momento temporis, mire mutatur. Sic porraceam fœminæ, quibus ex vulva malum naſci dicitur, ejiciunt. (*a*) Frequenter ſanus homo, qui vel cœlum, vel locum mutat, aut in gyrum ducitur, bilem primo, flavam, mox viridem evomit. Fereque, ſi ſtomachus aut cerebrum membranave ejus vulnus accepit, aut concuſſum eſt, bilis vomitus inſequitur. Propria etiam dentientium, diſtentiones nervorum, & alvi dejectiones virides, maximeque caninis dentibus orientibus, male habet. Bonum vero indicium fuit torminoſis, quibus ante acceſſionem alvus ſolito adſtrictior erat, bilis flava, & adhuc magis viridis, ſponte aut medicamentis, quocunque morbi tempore, maximeque inter initia, ore, vel alvo reddita: brevique tempore eos, quos id malum ſubito invaſerat, multa bilis viridis, & æruginoſa evocata levavit. (*b*)

Nam, etiamſi infra ſeptum tranſverſum dolores, qui purgatione egent, deorſum purgante opus eſſe, indicant: viſceraque ſub præcordiis poſita, motu inprimis inverſo venæ portarum, ſi viæ ejus, quibus cum ramulis venæ cavæ in hepate committitur, clauſæ ſunt, liquida in inteſtinis excernunt: ſæpe tamen, ubi nauſea eſt, abſque inflammatione, vomitu inſtans gravis morbus diſcutitur: eoque in febribus continuis, quæ in autu-

(*a*) Sydenh. p. 389. 390. (*b*) Degner. l. c. p. 20. 21.

tumnum cum intermittentibus incidunt, (*a*) & quæ petechiis accedunt, (*b*) fœtidæ dejeƈtiones antevertuntur: ſiquidem bilis, cum omnium humorum, qui in corpore circumfluunt, acerrimus ſit, & facillime putreſcat; celeriter, ſi calor abundat, tormina peſtifera excitare conſuevit, quibus eadem, ac in dejeƈtionibus bilioſis, ſed acriora deſcendunt. Fruſtulum albuminis ovi per aliquot dies incubati aut vitellus putridus tetro ſapore, ſtomachum & inteſtina movet, non minus quam quodlibet purgans. (*c*) Magis itaque putrida bilis, dum continuo in inteſtina deſtillat, ſenſiles tunicas lædit, alioſque etiam peſſimo odore afficit. Corruptæ quoque, quoniam faſtidio urgetur æger, miſceri nova materies difficulter poteſt. Ridicule vulgus ab ovis, quibus in omni fluore ventris utuntur, malum intendi obſtupeſcunt.

Sæpe autem mortuorum veſiculæ, bilem viridem & ſubnigricantem, in conſpeƈtum dant. Sic folliculus puellæ, quam virides dejeƈtiones ſubſtulerant, ad ovi gallinacei magnitudinem, felle æruginoſo tumebat. Similiter quoque turgentem veſiculam in aliis infantibus, qui eodem fluore, aut cholera obierant, bilem per ſpatioſius iter, fudiſſe, repertum fuit. (*d*) Aridam vero, cum tribus calculis duris, ſe oſtendit in epiſcopo Malleacenſi, per viginti dies dejeƈtionibus bilioſis implicito

(*a*) Van Swieten comm. T. 1. p. 264. (*b*) Huxham. obſ. de aere. T. 1. p. 106. 108. T. 2. p. 48. 147. 173. (*c*) Bellin. de motu cordis 96. p. 28. Huxham. Ib. T. 2. p. 49. (*d*) Diemerbroeck Anat. l. 1. c. 15. p. 77.

cito. (*a*) In his ex hepate bilis in inteſtinum deſcendit. Interdum etiam fit, ſed raro, ut atra bilis ex jocinore feratur. Eam antiqui modo vitiati cruoris, modo acerrimi aceti ſaporem habere dixerunt. Galenus Hippocratem, dum ait, alvum nigram ſanguini atro ſimilem repentinam ſive cum febre, ſive etiam ſine hac eſt, pernicioſam eſſe, dejectiones, quæ a priſcis medicis nigræ vocantur, annuere concepit, non vero bilem proprie atram dictam: quoniam illæ neque exedunt, neque fermentant: ſed ſunt, veluti ſanguinis limoſi rivi, fœcum vini ſimiles: quem ſuccum aut ſanguinem atrabilarium vocant. Illumque, ſi diutius in corpore hæret, tenuiorem fieri dixit, & in atram bilem converti, guſtu & odore acidam, ita ut terra reſperſa eo ſpumet. (*b*) Quibuſcunque autem ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque morbo extenuatis bilis atra, vel qualis ſanguis niger prodierit, poſtridie moriuntur. In his enim natura imbecillis neque coquere, neque ſecernere, neque exexcernere poteſt, quæ ita prava ſunt, ac dejectiones ſanguini atro ſimiles, vedum ipſa atra bilis, quæ ab iis differt, (*c*) & protinus, ſi ſupra vel infra ſe oſtendit, hominem rapit. Humerorum tamen dolores, qui ad ſcapulas, vel manus tendunt, vomitu atræ bilis ſolvuntur. Tormina vero ab hac orſa, cum nihil ab ulcerato carcinomate diſtent,

(*a*) Riolan. Anthrop. l. 2. c. 22. p. 27. (*b*) Comm. in Hipp. aph. 4. 2. T. 9. p. 145. de loc. affect. l. 3. T. 7. p. 438. (*c*) Id. comm. in Hipp. aph. 4. 23. T. 9. p. 147.

ſtent, mortifira ſunt, nullamque curationem recipiunt (*a*). Aretæus Cappadox atram bilem in acutis morbis, ſi ex ore prorumpit, celeriter ægrum abſumere, ſi ad inferiora deſcendit, non periculo vacare teſtatur, in longis autem, ſi ad alvum ruit, in tormina, jecoriſque dolorem finiri: (*b*) Diſcernere itaque oportet, inter atram bilem, & ſanguinem concretum longa ceſſatione, longoque ductu præaſſatum, ac liquidæ pici, vel Caſſiæ medullæ ſimilem, quo plurimi, ſub ſpecie atræ bilis, falluntur: is ubi funditur, cruentus vomitus, quo tincta lintea rubeſcunt, vel adeſt, vel præceſſit: & fellis nigræ dejectiones nihil tale oſtendunt. (*c*)

## §. II.

Si humor atrabilarius, qui ex crudo, aut vitioſo ſanguine provenit, fluit in jecur, ejuſque veſicam, atra bilis naſcitur: quæ, cum ad inteſtina fertur, nauſeas, vomitus & graviſſima tormina facit: eſtque modo perquam acida, ita ut metalla rodat, & cum terra miſta ebulliat, modo putrida, vel, quæ omnium peſſima eſt, oleoſa corrupta. Ubi vero ſimilis humor viſcera, quæ ſub præcordiis, ſunt, occupat, vena portarum, ſi tranſitus ſanguini in ramulos venæ cavæ difficilis eſt, illum tandem, motu retrogrado, atrum veluti picem,

(*a*) Id. comm. in Hypp. 4. 24. T. 9. p. 148. (*b*) De morb. Diut. l. 1. c. 5. (*c*) Lommius obſ. med. p. 152. Fernel. Pathol. l. 6. c. 10.

cem, craſſum inſtar fæcum vini, in ipſa inteſtina effundit.

Helmontius proterve nimis, quod atram bilem dicant interdum acidam eſſe ita, ut terram fermentet, antiquos, pro more ſuo deriſit: verum eorum æmulus, Boerhaave, qui ipſe bile, ut oleo vitrioli, terram effervefcere, & dentes ſtupefieri vidit (*a*) antiquitati fidem non derogari oportuiſſe, manifeſto propoſuit. Dejectiones etiam nigræ, ſplendentes, tenues, & cum ſanguine mixtæ, quibus anno quadrageſimo ætatis, intra quinque dies occubuit quidam natione Græcus, terra attacta, aceti acerrimi modo, ebullivere. (*b*) Ac nauclerus e virginia redux, primum torminibus graviſſimis, deinde nervorum diſtentionibus, & delirio correptus, plurimum bilis viridiſſimæ, ſubinde aterrimæ ac quam maxime acidæ, evomuit (*c*).

Is autem morbus, ſub æſtatis finem, & autumni initio, in regionibus calidis, Ægypto, apud Chairum Civitatem, Arabia, Africa, & India, frequens ubique eſt, quo luſitani ſæpe implicantur. Nam acris & torridus humor, qui ſub fervido cœlo corporibus innaſcitur, in India potiſſimum, & Ægypto, quia carnibus veſcuntur animalium, quibus caſſia fiſtularis purgatoria pro paſtu & cibo eſt, periculoſa tormina excitat, a quibus vix

(*a*) Prælect. acad. ab. Haller. Edit. T. 6. p. 174. vid. van Swieten comm. T. 1. p. 84. T. 3. p. 499. (*b*) Amatus Luſitan. Curat. med. cent. 2. cur. 45. (*c*) Huxham de Morbo Colico Damnon. p. 20.

vix quiſquam tandem, ſummo molimine ſanatur. Robuſtus miles ab hoc ſævo morbo ſuperſtes, vix intra annum ſolitos vires recuperavit. Maxime vero id malum, quod plures ibi ad inferos detrudit, quam quiſpiam alius affectus, eos prehendit, qui ſpiritu vini, *Arac* vocant, abutuntur, & quod ex oryza & holothuriis chinenſes conficiunt. Atque ob eandem quoque cauſam multi ſubito intra 24 horas, vel etiam citius, cholera fatis cedunt. (*a*) Profecto ex pomis, quæ immodice toto die aſſumuntnr, maxime ſi acida, & auſtera ſimul ſunt, eorumque ſucco non bene fermentato, & defæcato, gravia pericula ſunt. (*b*) Quo victu cum abuteretur juvenis, coli & articulorum vitiis tentatus, ipſo ſanguinis ſero, ſucci inſtar e pomis expreſſi, viridiſſimo, laborare viſus fuit, vena ſecata. (*c*)

# CAPUT VII.

## *De Puris profluvio.*

### §. I.

A bile ad pus veniendum, eſt, quod nonnunquam oſculis venarum exeſis, ſucci inſtar, quo nu-

(*a*) Bontius de Med. Iudor. p. 64. 70. (*b*) Huxham. ib. p. 23. (*c*) Ibid. p. 21.

nutrimur, ſanguinis curſu abreptus, per arterias, quæ in meſenterio ſunt, ad inteſtina defertur. Coxæ tumor, quem chirurgus mane aperire decreverat, tribus purulentis alvi dejectionibus media nocte evanuit (*a*) Magnus quoque abſceſſus cubiti per globulum plumbeum fracti, pus jam maturum, ventris fluxu effudit, poſteaque novo pure repletus, ſimili modo diſparuit, periculoſo vulnere ſaneſcente (*b*).

Vix tamen unquam pus purum & album venter reddit, ſæpe reliquiis ciborum, bile, aliiſque humoribus miſtum. Diſcernere etiam inter verum pus, & materiem puri ſimilem, nemo facile poteſt. Nam in gravedine craſſa pituita, puris inſtar, e naribus, & ex pulmone excreatur: eſtque lippitudinis genus, quo diu lacryma cum craſſa pituita profluit: aliquando vero mucus, qui ab interiore parte veſicam contegit, puri ſimilis mingitur. Interdum etiam fieri ſolet, ut mucoſa ſordes, quæ purulenta non eſt, nec ab ulcere manat, pluribus diebus ex ano feratur. Idque multos ſpecie puris feſellit, (*c*) maxime in torminibus. (*d*) Quin febris quoque materiem, quæ in pus converſum eſſe videtur, cum reliquis humoribus, donec e corpore exeat, agitare conſuevit. (*e*)

Et quamvis interdum ex abſceſſibus pus feliciter alvus evocet, ad inteſtina tamen id tendere ſemper

(*a*) Miſcell. N. C. D. 2. a. 2. p. 82. (*b*) v. Swieten comm. t. 1. p. 706. (*c*) Fernel patho'. l. 6. c. 10. (*d*) Freind. hiſtor. med. (*e*) vid. v. Swieten. comm. t. 1. p. 707.

per periculoſum, ſæpe peſtiferum eſt. Itaque, ſi non altius movetur, ex arte debet emitti: penitiuſque condita ſuppuratio, ubi vel per ſe, vel per medicamenta, vel etiam ferro aperiri nequit, leni alvi ductione tantummodo curari oportet, duce natura.

## §. II.

In tabe vero alvus ſi turbetur, actum eſt (*a*) & cita utique vitanda eſt: ſiquidem cibi crudi deſcendunt, corpus non alitur, nihilque æger excreat, niſi pituitam ſpumantem, alvo irritata omnia ad ſe trahente. (*b*) Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt, ubi urina quædam araneis ſimilia ſuperſidentia oſtendit; atque in ſputis odor fœdus eſt; maximeque, ubi poſt hæc orta dejectio eſt, protinus moritur: rupta quoque pulmonis vomica, ſi venter liquidus eſt, periculum certum eſt (*c*) perverſo enim naturæ conatu fluor ægrum male erercet, fractis viribus (*d*). igitur in phtyſi alvus cita vitanda eſt.

Raro fit, ut Thorax & pulmo per alvum purgetur. Galenus Thoracis vomicam (*e*) Bartholinus plus ſemel, in lateris doloribus & tabe pus (*f*) alvo expurgari viderunt. Meiboomius (*i*) atque ſep-

(*a*) Aretæns de cauſ. morb. diut. l. 1. c. 8. (*b*) Hipp. l. 1. de morb. c 7. Ed Mack. t. 2 p. 186 (*c*) Id. coac. 429 436 ib. p. 175. aph. 4. 14. 12 (*d*) Duret. comm. in Hipp coac 429. p. 305. (*e*) De loc. affect l. 6 c. 4. t. 7. p. 517. (*f*) Epiſt. c. 4. Ep. 87. (*g*) De Abſceſſ. p. 104.

Septalius (*a*) purulentis dejectionibus ex vomica a coſtarum parte orta, deſperatos convaluiſſe teſtantur. Aliaque, quæ a pulmone nata erat, etiamſi nulla ſpes ſupereſſet, torminibus per plures dies ſupervenientibus, tam integre ſanata fuit, ut ſpina a pure diſtorta ſponte reponeretur. (*b*) Nonnumquam etiam, quæ a vulneribus naſcuntur, alvo cita levari viſum fuit. (*c*) Pulmo graviter ictus, cum ex plaga vix quidquam puris prodiret, ad ſanitatem pervenit, orto, viceſimo die, ingenti per anum proluvie. (*d*) Si enim materies cito, intra diem, hac via expurgatur, non amplius quidquam e vulnere manat, febris quieſcit, protinuſque æger in bona ſpe eſt (*e*). Quod ſi vero ſanies ex lateris morbo ad inteſtina aut veſicam fertur, vomica quidem rupta eſt, ſed vetus ulcus, quod vix ſaneſcit, lateri inducitur. (*f*)

Proinde, ſi ex nimia inflammatione ſuppuratio fit, id agendum eſt, ut pus extuſſiatur: quod ſi fieri nequit, in ventrem plerumque erumpit, unde quidem melius ſe habere videntur, cum ex auguſto in ampliorem locum materies delabatur. (*g*) Hi tamen non facile ſaneſcunt, niſi multa ſigna bonæ valetudinis ſubſecuta ſunt. (*h*) Quemadmodum enim pus, quod ferro aut igne emittitur, ſi eſt

(*a*) Animadv. med. l. 6. §. 127. (*b*) Acad. R. S. 1731. ſlalp. v. der Wiel obſ. cent. 1. o. 34. (*c*) Marchett. obſ. 43. (*d*) Valercola l. 4. obſ. 10. (*e*) Marchett. ib. (*f*) Aretæus de cauſ. morb. acud. l. 2. c. 1. (*g*) Hipp. l. 2. de morb. c. 16. Ed. Maek. t. 2. p. 228. (*h*) P. Salius Diverſ. comm. in l. c. Hipp. p. 242.

eſt læve, album, & unius modi, ſine ullo metu eſt: & quo effuſo, febris protinus conquievit, deſieruntque urgeri cibi faſtidium, & potionis deſiderium: ac contra ſi pure extrinſecus emiſſo, febris non quievit, aut quamvis quieverit, tamen repetit: item ſi ſitis eſt, ſi cibi faſtidium, ſi pus eſt lividum, & pallidum & mali odoris, periculum certum eſt: atque ubi pus acervatim profluxit, mors in propinquo eſt. Similiter periculoſiſſimum ſæpe eſt ſi vomicam ſecuta ſubito dejectio eſt. (*a*) Interdum alvus cita, æque ac ſcalpellum vel uſtio, prodeſt. (*b*) Vix tamen pus ſincerum & album, ob longa itinera, edi ſolet (*c*) Maxime ſigna quæ anteceſſerunt, & ſi fluxu ipſo levatur malum, id ſine noxa, ex pulmone & thorace in inteſtina deſcendere, monſtrant.

Ex his autem, cum pus, per inſolitas vias proveniat, ſcire licet, ea, quæ natura interdum adhibet, artem ſequi non poſſe, potiſſimum, quia levi medicamento noxia materies non dematur, validum vero vires conſumat, in quibus ſolis ſalutis poſita eſt. (*d*).

## §. III.

At ſi exulceratio ſtomachum infeſtat, modo in ejus partem exteriorem, ventremque, modo intus pus pro-

(*a*) Hipp' l. 1. de morb. c 4. Ed Mack. t. 2. p. 181.
(*b*) P. Salius Divers comm. in Hipp de morb p. 58 76.
(*c*) Fernel. patho l. l. 6. c. 11 p. 402. (*d*) Septal. animadv. med. l. 6. § 127.

prorumpit, vomitu, aut dejectione conſpicuum (*a*) Idque puella, rupto abſceſſu, ſupra & infra emiſit. (*b*) Sæpius tamen per os redditur. (*c*) Mead aliquoties, ægros, magnam ſanguinis, ſimul & purulentæ materiæ copiam evomuiſſe vidit. (*d*) Terret ſane iſte caſus, at plerumque non magnum periculum adfert: adhibendi leves & glutinoſi cibi ſunt, ſed citra ſatietatem. Omnia acria atque acida removenda: vino, ſi febris non eſt, dulci, aut, ſi id inflat, certe levi utendum: ſed neque perfrigido, neque nimis calido: iiſque adſumptis, quæ membranas exulceratas conglutinant, inprimis *balſamo locatelli* redit ſanitas. (*e*) Verum, cum vomica ventriculi minus frequens morbus ſit, raro curatur, cauſa mali non bene cognita. Interdum etiam pituita ſtomachus impletur, fereque eadem, quæ in ſuppuratione, ſigna ſunt. Fæminæ tumor cum dolore, ſub præcordiis erat: accedebatque anxietas, atque nauſea: nonnunquam humor ſupra erumpebat, qui referre pus videbatur: ſed adhibitis, quæ puri digerendo ſunt, fortuito vomitu morbus ſimul cum materia, quæ coiverat, ſubito diſcuſſus eſt. (*f*)

(*a*) Fernel. pathol. l. 6. c. 1. Riolan. Anthropogr. l. 2. c. 20. p. 117. vid. Avenzohar. l. 1. tr. 2. c. 3. (*b*) Philoſoph. Tranſact. 1751. p. 406. (*c*) Meiboom de abſceſſ. p. 48. (*d*) Monita med. p. 112. (*e*) Ib. (*f*) Meiboom de abſceſſ. p. 48. 50.

§. IV.

## §. IV.

Ubi vero abſceſſus, poſt dolores, qui ventrem infeſtarunt, pus in inteſtina emittit, tormina purulenta fiunt, pro conditione ulceris, varia: ſi quidem ex vomica inteſtinorum ſincerum pus, quod raro ab alia parte deſcendit, alvo exire poteſt. (*a*) Igitur purulenta alvi dejectio mala eſt, & ulcus, malignum ſæpe & inſanabile, in inteſtinorum anfractibus latitare, ſignificat (*b*). Fertur autem primum e podice pus ſanioſum, deinde album & concoctum; idque vel ſeorſum, ac ſincerum, vel fæcibus propulſum, & permiſtum: tumque dolor & febris quieſcunt, alvus, impedimento ſublato, libere redditur: ſed ulcus non facile ſaneſcit, fereque in fiſtulam, vel in cancrum abit, exitque ſanies modo cruenta, modo purulenta. Vix tandem cicatrix inducitur. (*c*) Quidam tamen, ab alvi dejectione purulente, convaluerunt (*d*). Sæpeque inteſtina, quæ vermes exederant, fuere curata. (*e*) brevi mulier, cui ex abſceſſu in inguine, vivis lumbricus prodierat, ulceris cura probe habita, malum evaſit. (*f*) Alteraque cui ſub umbilico fæces, & intra quatuor dies, plus quam centum vermes, ſpithamam longi, eruperant, viginti diebus,

(*a*) Galen. comm. in Hipp. aph. 7. 8. t. 9. p. 295. (*b*) Hipp. coac. 608. Ed. Mack. t. 1. p. 190. Hollerius in l. c. p. 1057. (*c*) Fernel. path. l. 6. c. 9. Meiboom ib. p. 55. (*d*) Holler. l. c. (*e*) vid. Meiboom l. c. (*f*) Tulp. l. 3. obſ. 12.

bus, ex toto convaluit. (*a*) Magnus quoque abſceſſus in dextro inguine virginis ortus, ubi primum puris fetidi libram circiter, dein decem adminimum lumbricos, tandem chylum, fæcesque effuderat, plenam curationem recepit (*b*). Et puero novenni vulnus, per quod cibi inteſtino exibant, conſolidatum eſt (*c*).

Super hæc, inguen quoque nonnunquam ramex implet. Βυβωνοκήλην adpellant. iſque ſæpe nimis audacter inciditur. (*d*) Cum medicus, ut pus excluderet, tuberculum ſupra inguina aperuiſſet, ſtercus ſubſecutum eſt, & in colo abſceſſus manifeſte apparuit. (*e*) Cumque forte adoleſcens in peſtilentia tumorem ſaltando ſibi excitaſſet, alter cum chirurgo, bubone, ut putabant, inciſo, fæces effundi, vulnusque tandem, poſt mula tædia, coalecere, demirati ſunt (*f*) multum enim in malo imprudentia curantis facto, apta manus proficit. Marchettis, ſtercore elapſo, villici, ramicem quem barbitonſor, bubonem venereum eſſe ratus, ſcalpello ſecaverat, intradecem dies, ad ſanitatem perduxit. (*g*) Similiter in alio ruſtico, prudentis quoque medici auxilio, vulnus circa umbilicum, cu-

(*a*) Miſcell. N. C Dec. 1. a. 1. p. 321. Dec. 3. a. 2. p. 245. (*b*) Ib. Dec. 2. a. 4 p. 219. (*c*) Lamzweerd. obſ 55. Miſcell N. C Dec 2 a. 4. p. 250. act. phys-med. vol. 1. p 294 vol 3 p. 38. vol. 4. p. 160. vol. 8. p. 235. medic. Eſſ. Edimb t. 1 art. 19. Schenck obſ. l. 3. de Lumbricis p 373. (*d*) vid. Fabric. ab. aquapend. operat chyr. c 72. (*e*) Galen. l. 1. de loc. affect. c. 1. t. 7. p. 379. (*f*) Stalp. v. der Wiel. cent. 1. obſ. 54. (*g*) Obſ. 55.

curatum fuit, quo æque lippus tonſor fæces, e laxiori inteſtino, emiſerat. (*a*) Interdum etiam, ubi inflammatione hernia intumuit, reducique non poteſt, cancer excidit, ulcusque agglutinatur: a quo nobilem matronam, quæ ſeptemdecim annis ramice vexata fuerat, cum ejus callus & caro putrida ſecederent, perſanavit Hildanus, nulla relicta fiſtula. (*b*) Idque in aliis etiam, quamvis fæcis effluerent, perfectam curationem admiſit (*c*). Diu tamen victu tenui, ne recrudeſcat, utendum eſt (*d*).

§. V.

Fiunt etiam in cellulis membranæ, cui inteſtina nectuntur, & circa ejus glandulas, abſceſſus de quibus, propter ſigna dubia, inter authores parum conſtat. Videntur autem primi Fernelius, (*e*) & Salius, (*f*) id vitium ab aliis non clare propoſitum, optime explicaſſe: eos Lommius inſequitur. Ubi ſuppuratio fit, gravitatis cujusdam in ea parte, ſed vix doloris, niſi premitur, ſenſus eſt: febris lenta, nullis moleſta caſibus gravioribus, vitæ officia hominem tenere patitur: plerumque, inter ini-

(*a*) Act. Berol. d. 1. vol. 3. p. 82. 83. (*b*) Lib de Gangræn. c. 6. p. 778. & cent. 1. obſ. 55. (*c*) Medic. eſſ. Edinb. vol. 1. art. 20. vol. 5. art. 34 Academ. de Chirurg. t. 1. p. 343. Philoſoph. Tranſact. No. 443. remarq. ſur Dionis p. 57. (*d*) Academ de Chyrurg. t. 1. p. 343. (*e*) Pathol. l. 6. c. 7 10. (*f*) In Avicennam. p. 244. vid. Lomm. obſ. p. 178. Fr. Hoffman. med. rat. tom. 4. ſect. 2. c. 13.

initia, rubra ſanies alvo exit: interdum venter nil, niſi coacta, reddit: ſemper vero intumeſcit: nonnunquam rupto abſceſſu, pus album vomitu educitur: ſæpius fæcibus permiſtum, vel etiam, ſine miſtione ſincerum, magna copia, absque dolore, ad inferiora deſcendit: utique ſi morbus ad inteſtina noviſſima vergit; quod aliquando celebres medicos magna admiratione, & controverſia torſit: pus purum & album paucis diebus excretum periculo ſubtrahit; ſi ſanies diutius deſtillat, pravum fit ulcus, & inſanabile: (*a*)

Remedium vero non eſt: ſed qui hoc profluio fetidi puris (quod nonnunquam quotidie, bis vel ter cum fæcibus excernitur) laborant, cum reliquarum partium ſanitate fruantur, etiam per plures annos, ſupereſſe poſſunt. (*d*) Quædam protinus ex inflammatione meſenterii male ſe habuit: eaque in ſuppurationem converſa, melius & ſana ſibi viſa fuit: ſed ſingulis diebus, bis terve in quartum annum usque, pus mali odoris, nullis excrementis miſtum, ano reddebat. (*c*)

Interdum enim, humorem acrem, maxime quibus venter prominulus eſt, ex meſenterio, in quo antea colligitur, in inteſtina prorunpere, manifeſtum eſt. (*b*) Id, corpus viri, quem tormina ſuſtulerant, conſpectui ſubjecit: namque colon & rectum minutis abſceſſibus ſcatebat, & qua par-

(*a*) vid. Meiboom. de abſceſſ. p 61-65. (*b*) R. Dodonæus pax p. 485. (*c*) Id. Annotat. in Beniven. obſ. 33. p. 125. (*d*) Fernel. pathol. l. 6. c. 10.

parte tubercula ruperant, lacerum erat: ac multæ glandulæ, in meſenterio poſitæ, tumebant, maturo pomo ſimiles; ruptæque pus foetidum, quale ægro effluxerat, ejiciebant (*a*) Quin etiam alteri materiem purulentam, quæ continuo per alvum, nonnunquam, ac ſi renum vitium eſſet, veſica exibat, easdem glandulus effudiſſe, vix dubitari poteſt. Semper enim fæces puræ prodibant: idque indicium eſt, malum, extra rectum inteſtinum, hærere, cujus ſphincter quoque dolebat, exiquo foramine tuberculi patulus. Si quando pus copioſe rueret, dolor remittebat, coacervata materia iterum intenſior, rurſum, cum pus ad libras effluxiſſet, levatus, adeo ut idem malum, per circuitus rediret. tormina autem, circa umbilicum, vexabant, &, in ventre, ruptæ quaſi veſiculæ, ante puris effluxum, ſenſus erat. Tandem vero oſſi ſacro & coxendici tuberculum increſſebat, quo inciſo, pus tanto foetore & acrimonia, ut ſcutellam argenteam, qua excipiebatur, atro colore inquinaret, copioſe erupit. (*b*) Hofmannus tres caſus ſanati hujus mali poſuit. Milite enim, quem ſiniſtra parte præcordiorum percuſſa, diu tumor & dolor ſupra os ilium infeſtaverat, ſanitas in propinquo fuit, ſimulac tormina, quæ interpoſitis pluribus diebus, accedebant, & quibus per tres menſes, ſæpe octies vel decies uno die, modo ſtercus, modo cruenta ſanies deſcendebat, levari coe-

(*a*) Thom. Barthol. hiſt. Anat. cent. 6. hiſt. 2. (*b*) Ib. cent. 4. hiſt. 96.

coeperunt. (*a*) Et in agreſti, dolor cum febre, a lapſu in ſtipitem, ſupra umbilicum, ortus, deinde poſt aliquot dies, cruento pure ſupra, infraque multum erupto, quievit, & ſic, per circuitus & dolor & dejectio repetens, penitus deſiit. (*b*) Tertiusque caſus eſt nobilis qui cum ex vehementi ira in dolorem cum ſenſu gravitatis, circa lumborum primam vertebram, incidiſſet, purulento fluore ventris & veſicæ etiam, diu debilitatus, tandem vires ſuas recepit (*c*).

Illud autem jure aliquis cum Riolano (*d*) mirabitur, quomodo hi tumores ſine manifeſto dolore ſolum ſenſum gravitatis habeant, nam & morbi, qui in ea parte deteguntur, & nothus dolor colicus, cujus Fernelius meminit, (*e*) illam acutiſſime ſentire, ſatis oſtendunt. Sed absque inflammatione abſceſſus fuint. ἀποστήματα vocant. Qui, ubi intus latent, ſæpe nulla, vel dubia indicia dant: ut in tuberculis pulmonum frequenter accidere ſolet.

## §. VI.

Difficulter quoque abſceſſus in maxima corporis glandula, quam παγκρέας Græci vocant, ab aliis qui infra ſeptum hærent, dignoſcitur. Tantummodo ex tumore & gravitate circa eam partem levis ſu- in-

(*a*) Med. Rat. t. 4. ſect. 2. c. 13. p. 580. (*b*) Ib. p. 550. (*c*) Ib. p. 583. (*d*) Anthropogr. l. 2. c. 15. p. 109. (*e*) Pathol. l. 6. c. 10.

ſpicio naſci ſolet. Neque etiam id ſcire multum intereſt. Nam omnes tabis metum incutiunt, ſimilemque curationem requirunt. Commode vero pus, ſolito itinere, in inteſtina, indeque alvo effluere poteſt. (*a*) Id viſcus, Tulpius in cadavere juvenus ſupra infraque extuberans, ac turgidum, intusque ſordido pure, ac viſcida pituita infarctum, conſpexit, (*b*).

## §. VII.

At lienis ubi affectus eſt, intumeſcit, ſimulque cum eo pars ſiniſtra: quæ & dura eſt, & prementi renititur, venterque intentus eſt. Interdum etiam, cum inflammationi ſit obnoxius, ſuppuratio in eo fit: ſed pus cinereum foeculentum, aut lividum, nunquam purum & concoctum excernitur (*c*). Idque caſu nonnunquam medicamento, quo bilem & pituitam dejiciunt, feliciter evocant medici, (*d*) & inopinanter. (*e*) Purgatione mulier, cui ea parte vehemens dolor erat, audito, ſimul cum ancilla ſibi proxima, ſtrepitu, cruentum pus, ad libras quatuor, & amplius per os, & infra emiſit: & quamvis ex ſequenti crebra profuſione anima deficeret, brevi tamen ad ſe rediit. (*f*) Similiter, ex rupto abſceſſu inteſtini, convaluit vir,

(*a*) Meiboom de abſceſſ. p. 67. (*b*) Tulp. obſ. l. 4. c. 32. (*c*) Aretæus l. 1 de cauſ. morb. diut. c. 14. (*d*) Hipp. l. 1. de morb. c. 4. Mack. p. 180. (*e*) Salius comm. in l. c. p. 55. (*f*) Act. Phys med. vol. 3. obſ. 73.

vir, cui venter triduo ſuppreſſus, ac lotione mollitus, primo pus & ſanguinem, mox torminibus integras tunicas, compoſitas ad imaginem canalis inteſtinorum, cum ſtercore; tandemque materiem purulentam, pluribus diebus, effuderat. (*a*)

Sæpe, quibus magni lienes ſunt, his ſanguis aliqua parte prorumpit. Fernelius ſanguinem ſtomacho redditum, cum in grumos coagulatus conſpiciatur, non tenuis ac rubicundus, ſed craſſus, & contretione nigreſcens, ſemper aliundi diduci putavit. (*b*) Sed nonnumquam is, ſi abundat, relaxatis ventriculi vaſis, evomitur, & mulier ſanguinem vomens, profuſis menſtruis, liberatur: eaques per certos circuitus, cruento vomitu, provenire viſa ſunt. (*c*)

Plerumque tamen, a jocinore vel a liene male affectis, cruor erumpit. Qui ab hepate venit, magis ſplendet, ac purior eſt: quem lien fundit, is turbidior, ſubniger, interdum acidus eſt (*d*) pici liquatæ, vel caſſiæ ſimilis: & ſæpe ex tumore circa ſplenem collapſo, dignoſci poteſt. (*e*) Frequenter enim ante, in ſiniſtra parte præcordiorum, tumidus lien, qui, poſt vomitum, evaneſcit, manifeſte ſentitur. (*f*) Indolens tumor, & prælongus, quem vir mediæ ætatis, per decem an-

(*a*) Miſcell. nat. cur. d. 3. a. 9. & 10. p. 315. (*b*) Fernel. l. 6. c. 3. (*c*) Hipp. aph. 5. 32. Stalp. v. der Wiel cent. 2. obſ. 17. (*d*) Lommius obſ. p. med. p. 148. (*e*) Archigen. apud ætum tetr. 2. ſerm. 4. cap. 62. (*f*) Dodon. in ſcholio obſ. 26.

annos, in ſiniſtro latere geſtaverat, improviſo copioſi ſanguinis vomitu, horæ ſpatio, ſublatus fuit (*a*). Alterque quotannis e regione lienis, tactu, ad pugni magnitudinem, increſcens, ubi ad ſummum pervenerat, ruptus, ingentem ſanguinis copiam, interdum ad IV. vel V. librarum pondus, in ſtomachun ſeffudit, vomituque peracto, confeſtim deſidit, donec pedetentim collecto ſanguine turgens, iterum ſimili modo evacuaretur. (*b*)

Sæpiſſime ſanguis ſimul ſurſum & deorſum fertur. Qui juxta curriculum habitabat, cum noctu ſanguinem vomuiſſet, poſtero die, cruento vomitu, ſuffocatus fuit. A liene quoque deorſum multus cruor manaverat. (*c*) Alius, cui lien valde intumuerat, atri ſanguinis', & grumoſi plusquam decem libras emiſit: rurſusque, poſt annum, aucto tumore, ſimili profluvio correptus, in aquam mortiferam incidit (*d*).

Inſtantis autem profuſionis ſigna ſunt, anxietas, tenſio, & dolor in latere ſiniſtro: animaque citius deficit in eo, maxime ubi ſplen vitiatus eſt, quam in omni alio ſanguinis profluvio. (*e*) lienem intus tabefactum, ſolum ad exteriora integrum cadaver exhibuit, viri crebro vomitu ſanguinis mortui. (*f*) Isque in ſexagenario, ſubito, ſine vomitu, aut dejectione cruenta, rapto, putridus erat, ventriculo,

(*g*) Miſcell. n. c. d. 3. a. 7. &. 8. p. 359. (*b*) Ib. d. 2. a. 7. p. 376. (*c*) Hipp. l. 5. Epidem. Ed. Charter. T. 9. p. 342. (*d*) Marcell. Donat. hiſt. med. Mirab. l. 4. c. 9. p. 208. (*e*) Fr. Hoffmann. Med. Rat. T. 4. part. 2. lect. 1. c. 3. (*f*) Bonnet. Sepulchr. anat. T. 2. p. 120.

culo, quem grumoſus ſanguis impleverat, non affecto. (*a*)

Quidam ſanguinem ab hepate vel a liene in ventriculum fluere poſſe negant: ſed nullæ valvulæ, nec in vaſis lienis, nec in brevibus ventriculi, recurſum impediunt: nam, ubi in cadavere, vena, quæ per omentum, vel inter id & ventriculum diſcurrit, aëre, vel humore impletur, ambo & lien & ventriculus, venis undiquaque turgidis, non ſolum aſſurgit, ſed interdum liquor in ipſum ventriculum ſtillat. Nonnunquam etiam, adapertis ejus vaſis, edax humor lienis, vomitum atri ſanguinis & coagulati, excitat, quo in ὤδρωπα, quam Græci vocant, incidunt (*b*). Vas breve in ſenatore qui cruenta ſurſum & deorſum profuſione, diem ſupremam obierat, digiti magnitudine latum in ventriculum hiare, conſpectum fuit. (*c*) idemque in matrona, poſt diuturnos, in latere ſiniſtro dolores, & poſt frequentes ſanguinis vomitus vomendo exſtincta, calami majoris, quo litteras pingimus, ſimile, unico trunco a liene in ventriculum tendens, ramum in ipſius cavitatem, ita ut ſtylum admitteret, apertum habebat, reliquis per ejus tunicas diſcurrentibus: atque non procul inde aliud vas quoque pervium erat. (*d*) Medici etiam, in cadavere Cardinalis Cibonis hoc vomitu occiſi, viderunt, coarctato ventriculo liênem turgeſcere, irum-

(*a*) Comm. acad. petropol. T. 1. p. 383. (*b*) Drelinc. de lienoſ. c. 14. §. 4 (*c*) J. Riolan. anthropogr. l. 2. c. 17. p. 114. (*d*) Miſcell. N. C. dec. 1. a. 9. & 10. p. 68.

iterumque ſplene compreſſo in ventriculum, copioſum ſanguinem, per vas breve, infundi. (*a*)

Qui vero ex liene ſanguinem fundunt, interdum, ſed raro, in prima vomitione, deficiunt, ſæpe in altera, vel & tertia, vel & poſt eam, ſequenti alia. Renaſcuntur autem, per incerta tempora, ſubinde paucis, ſubinde pluribus menſibus intermediis: quarum aliquam ſi non eſt mors conſecuta, in uterum multus humor, quo tandem pereunt, contrahitur (*b*). Mulier quidem poſt vomitus frequentes, ea morbo, implicita, ſanari videbatur, ſed paulo poſt ſanguinem iterum vomens, occubuit. Neque virum aqua, quamvis, per prominentem umbilicum, laneo filo tranſmiſſo, ſenſim effluxerat, periculo ſubtraxit, vitiato liene, concreti ſanguinis ſimili. (*c*) Uno tantum & alteri, primo vomitu, ſanitas rediit. (*d*)

Quibus autem dextra parte præcordia dolent, & ſanguis ſpumoſus ex hepate evomitur, mors inſtat (*e*) frequenter in ipſo vomitu, uti cuidam, ubi longo tempore ex jecinore ſe male habuerat, accidit (*f*)

## §. VIII.

Si vero jecur vomica laborat, pus intus ad veſicam, vel ad inteſtina prorumpere poteſt: ubi in

(*a*) Spigelius Anat. l. 8. p. 241. (*b*) Dodonæus prax. c. 26. p. 325. 326. & obſ. med. 26. (*c*) Ib. (*d*) Ib. in ſcholio. (*e*) Hipp. coac. 450. Ed. Mack. T. 1. p. 176. (*f*) Dodonæus obſ. med. c. 26. p. 45. vid. Galen. de loc. affect. l. 5. c. 6. Charter T. 7. p. 404.

in inteſtinum deſcendit, ex alvo primum aquea feruntur, poſtea humor, in quo ſunt lotæ carnis ſimilia, nec non qualia in torminibus, quando intus inteſtina exulcerantur, exire ſolent. Interdum cruentum virus, interdum concretus ſanguis effunditur: fertur & bilis flava, ſincera, aut porracea, & poſtrema, quæ interitum ſecum trahit, nigra bilis. (*a*) Saniei quoque fluxus in ventrem, ſi ſtomachum occupat, periculoſiſſimus eſt. (*b*) Cruor autem paucus ſenſim ex ulcere jocinoris manat, multo virulento, turbidoque pure imbutus. Leviculus etiam doloris tractus, juxta jocinoris regionem ſentitur, atqne ejus ulceris, quod illic inhæreſcit, aliquæ ante notæ fuerunt. (*c*)

Quod ſi non bonum pus, ſed mali odoris, veluti putredinem venter expellit, crudum alimentum præterfluit, atque ignis ſacer inſequitur, omniaque in pejus vertuntur. Carnes colliquatione contabeſcunt, (colliquatos nominarunt, qui poſt ulcera jecoris tabefacti moriuntur), motus exiles arteriarum, & ſpiritus difficultas mortem ſubeſſe teſtantur. Quibuſdam etiam, quamvis tormina, ulcuſque ſanari viderentur, morbus tamen in aquam inter cutem deſiit.

Quod ſi vero omnia remittuntur, pus album læve, æquale, inodorum venter dejicit, & cibos concoquit, homo in bona ſpe eſt. (*d*) Virgo, quam

(*a*) Aretæus de morb. Diut. cauſ. l. 1. c. 3. (*b*) Ibid de morb. diut. curat. l. 1. c. 13. (*c*) Lomm. obſ. med. l. 2. p. 182. (*d*) Aretæus de morb. diut. cauſ. l. 1 c. 3.

quam per annum calidus tumor in latere dextro, ſub coſtis ſpuriis, cum ſiti, & ciborum faſtidio vexaverat, accedente ingenti ſœtidi puris proſluvio, convaluit. (*a*) Et mulieri, cui præcordia diu, cum ſenſu doloris dura in dextra parte tumebant, libram circiter, quaſi materiei quam παρέγχυμα Græci nominant, alvo exceſſiſſe profuit. (*b*)

Plerumque tamen ſemper æger diu luctatus moritur. Vixque ſanati abſceſſus exempla proſtant fide digna. Hepar enim natura bilioſum bonum pus non dare, ejuſque ulcus vix unquam ſaneſcere poteſt. (*c*) Ideoque ſi effluit, velut: ἀμοργὴ (olii fœcem Græci nominant, cui ſimilis hepatis putredo) aut ſi pus cruentum e jecore exit, pereunt. Carnem enim ejus intus vitiatam eſſe, mortiferum eſt. (*d*) Sanies etiam ferro emiſſa, cum lethum acceleret, mirum non eſt, ſi humor corruptus, ſemper in inteſtina diſtillans (qui fluxus colliquativi nomine venit) ciborum faſtidium movet, longa & peſſima tormina facit, nullam medelam, vix palliationem capit. Sæpe id malum totum viſcus devorat. In extenuato corpore militis, qui ex inflammatione in fluxum hepaticum inciderat, loco hepatis, ſola membrana, quæ illud contegit, reperta fuit, ſacci inſtar craſſa, ſaniem loturæ carnis ſimilem tenens, qualis ægro per ſex menſes effluxerat. (*e*) Atque in hepate juvenis viginti libras

(*a*) Miſcell. n. c. dec. 2. a. 10. p. 212. (*b*) Medic. Eſſ. Edenb. t. 4. art. 29. (*c*) Fernel. pathol. l. 6. c. 5. p. 385. (*d*) vid. Galen. comm. in Hipp. aph. 7. 45. t. 9. p. 316. (*e*) J. Bontius obſ. 9.

bras puris invenerunt. (*a*) Sic ren quoque ſuppuratus, ſaccus inutilis fit. (*b*) Denique ipſum jecur, quod maxime mirum videri poteſt, abſque ſanguinis profuſione ſæpe conſumitur. (*c*) Sed in tabe illud quoque nonnunquam accidere ſolet, ut, exigua parte pulmonis ſuperſtite, vix cruentum aliquid, cum pure, excreetur. (*d*)

Si vero extrinſecus membrana, integro hepate, ſuppurat, pus bonum fieri poteſt. Itaque, ubi ſcalpello aperiunt, & ipſam vomicam adurunt, ſi ex ea fertur pus purum, ſalus facilis. Id enim malum in tunica eſt: a quo omnes, ſi modo hepar non affectum eſt, ſervantur. (*e*) Iſque a periculo tutus eſt, cui pus album effluit, concoctum, læve, olidum, & craſſum, febres remittunt, omniaque facile quieſcunt. (*f*) Frequentiſſimus, in india, is abſceſſus eſt. (*g*)

## §. IX.

Igitur, ſi jam incidit in aliquo viſcere abſceſſus, cujus pus ſapiens natura alvo emittere conſuevit, medico de rebus cogitandum eſt, alvum ſubducentibus. Id vero ex ſuppuratione uteri, atque veſicæ, quod nonnunquam in inteſtinum rectum prorum-

(*a*) Paw. obſ. anat. 7. vid. Dimerbroeck anat. l. 1. c. 14. (*b*) Barthol. hiſt. anat. cent. 3. hiſt. 35. paw. obſ. 4. (*c*) Ballon. conſ. l. 1. conſ. 53. St. Blancard. prax. p. 136. (*d*) Hipp. aph. 7. 45. Galen. comm. in l. c. Charter. t. 9. p. 316. (*e*) Arctæus l. 1. de cauſ. morb. diut. c. 3. vid. Saviard. obſ. chyr. 39. 40. 41. (*f*) Bontius de med. Indor. c. 8.

rumpit, (*a*) potius, per ſua itinera, educi, evidentiſſimum eſt. Gravitas, & ardor, & diſtentio, & dolor & durities in ventre, præcordiiſque, ſumma cura explorari debet, ne forte latens vomica medicamento rumpatur, & tormina ac dejectiones excitet, quæ nullis remediis curari poſſunt. Quam ob cauſam, ubi pus per inteſtina educere velis, lac eductorium eſto, præcipue quidem, aſinæ, ſin id non adſit, capræ aut ovis: ſucci autem lubrici, & abſtergentes præbeantur, qualis eſt hordeacus. (*b*).

## CAPUT VIII.

### *De Ventris fluxu ſanioſo.*

Ubi vero ſanies ex ano diſtillat, ſcire licet, ulcus aut καρκίνωμα alicubi in ventre hærere. Nam ſi ex inflammatione jecur non ſuppurat, tumor durus ſubſidet, quem σκίῤῥον Græci vocant, venter ſqualet, & crebræ dejectiones fiunt. (*c*) Et, ſi in inteſtinis id vitium naſcitur, dira tormina perpetuo ægrum excruciant, reſolutio nervorum, aut diſtentio inſequitur, donec tandem mors unico ſit miſeriæ ſolatio. Fæmina tamen quinque annis lenta febre cum intolerabili dolore ventris conflicta-

ta,

(*a*) vid. Meiboom de abſceſſ. p. 77. 84. (*b*) Aretæus de morb. diut. curat. l. 1. c. 13. vid. Meiboom de abſceſſ. p. 53. (*c*) Aretæus de cauſ. morb. diut. l. 1. c. 13.

ta periculum evaſit, poſtquam, vomitus cauſa, potionem ſumſiſſet, qua, cum dejectionibus torminoſis, corpus glanduloſum, ſecuta ſanguinis profuſione, excreverat. Id autem latitudine binos digitos, longitudine tres palmas adæquans, ſeptem unciarum pondus habebat (*a*).

## CAPUT IX.

### *De Sanguine per alvum reddito.*

At plerumque evenit, uti ſanguinem nec pus, nec ſanies ſequatur. Nonnunquam, inter dormiendum, cruor ex naribus per fauces deglutitus, ad ſtomachum & inteſtina deſcendit, ægrumque, ubi alvo effluit, vano metu, interdum etiam medicum terret. (*b*) Sed, ſi ſanguis aut calor abundat, frequens eſt, ut alvo profluvium ſanguinis fiat. δυσεντερίαν interdum vocant. Per eam, æque ac per venas, quæ in ano, vel in ore vulvæ fæminarum ſunt, totum corpus a puro ſanguine, ob copiam ſui, exinanitur (*c*), maxime in his, qui athletice valent, quive ex nimo labore ad ſubitum otium tranſeunt, vel quibus membrum quoddam exciſum eſt: interdum etiam mulier, quæ menſtruis non purgatur, ſanguinem dejectione, aut vomi

(*a*) Kerckringh. obſ. anat. 56. (*b*) v. Swieten. comm. t. 3. p. 375. (*c*) Galen. l. 2. de loc. affect. c. 5. charter. t. 7. p. 407.

mitu fundit, hoſtiæ occiſæ ſimilem (*a*) Fereque adoleſcentia, ſi ſolitus ejus, ex naribus curſus deficit, cruentæ profuſioni ventris objecta eſt (*b*). In plerisque ſic per intervalla redit, ut ſanitati nihil demat: Nam intermiſſus ordo exercitationis non ſine noxa eſt, & quies, & ubi membrum exciſum eſt, cum id nutriri non poſſit, ſi viſcera integra ſunt, quicquid incontinentur ex conſuetudine aſſumitur, & menſtrua ſuppreſſa, ſanguinis abundantiam augent eoque, per certos circuitus, utiliter dejicitur. (*c*) Quam ob cauſam Hippocrates, ubi dixit, ſanguinem ſplendidum excernere, periculoſum eſſe, addit, maxime ſi dolor adeſt. (*d*) Atque idem, alio loco, ſi membrum corruptum decidit, aut abſciſſum eſt, ubi nigrities & ſanguinis profuſiones ſubſtiterunt, cruentas dejectiones exſpectabat, non tamen diuturnas, aut mortiferas, adeo ut neque ciborum faſtidium ſequi ſoleat, aut abſtinentia opus ſit. (*e*) Quamvis interdum homo, ſimul omni vi effuſa, præcipitatur. Miles, cujus cruri utroque abſciſſo, cicatrix inducta erat, cum jam convaleſceret, in febrem continuam, cum torminibus, incidit, ac ve-

(*a*) Ib. l. 5. c. 8. p. 503. (*b*) Hollerius. l. 1. de morb. intern. c. 43. p. 341. & in coac. Hippocr. p. 668. 1056. Duret. in coac. Hipp. p. 344. vid. Jacotium in coac. Hipp. p. 876. (*c*) vid. Galen. comm. 4. in l. Hipp. de artic. t. 12. p. 450. id. comm. 2. in Hipp. de natural hominis. t. 3. p. 142. id. l. 3. de Symptom. cauſ. t. 7. p. 96. id. l. 3. de natural. facult. t. 5. p. 70. (*d*) Holler. comm. in coac. Hipp. p. 1056. (*e*) de Articul. charter. t. 12. p. 450. 451. & L. Mochlicus t. 12. p. 546.

vehementi ſanguinis profuſione, quæ nullis remediis curari poterat, defecit. (*a*) Ipſe rationem quoque, cur ſanguis onere nocet, dat, ſi modo, quæ de lacte habet, huc transferuntur. Nam mammæ ait, nimium humorem a reliquo corpore avertunt; ſiquidem mulieri, cui propter vitium, aut quadam de cauſa, harum alterutra ſublata eſt, vox aſperior fit humores ad gulam feruntur, ſpumæ profluunt capitis dolores vexant. Lac enim, quod ab utero venit, dum ut antea, adſcendit, neque propria vaſa reperit, in principes partes, cor & pulmones ruere debet, atque ſpiritus difficultatem movere. (*b*) Sauromatæ apto inſtrumento æneo, dextram mammam puellarum, in tenera ætate, adurunt; ut ejus incrementum prohibeant, & ut omne robur ac copia ad humerum & brachium ejuſdem lateris convertatur. (*c*)

Facile autem conſortium vaſorum, quæ in utero & inteſtinis poſita ſunt, ut ſanguis modo hac, modo illa parte erumpat, efficit. Ruſtica, a partu, ſemel tantummodo menſtruis purgata, dein tempore quo ea ante provenire ſolebant, alvi profuſionem, quæ plerumque intra duos, interdum intra plures dies ſponte ceſſabat, cum iiſdem ſignis habuit, quibus antea ſibi, & vulgo aliis mulieribus ſanguis ex utero fluere aſſuevit. (*d*) Virgo peſtilenti profluvio ſanguinis ægra, cum menſtrua, oc-

ti-

(*a*) Hildan. cent. 2. obſ. 100. p. 182. de gangræn. c. 27. p. 829. vid. Veſal. p. 1082. (*b*) de Glandulis Ed. Mack. t. 1. p. 295. (*c*) de ære aquis & locis. c. 10. Ed. Mack. t. 1. p. 330. (*d*) Miſcell. n. c. dec. 2. a. 10. p. 375.

tiduum citius ſolito prorupiſſent, mox altero die, tormina pene evaſit, tertioque jam ſanata fuit (*a*).

Neque hercules, ſemper neceſſe eſt, vel exeſa parte aliqua ſanguinem ex inteſtinis exire, vel rupta, ſed oribus adapertis, vaſa, quæ per eorum membranas diſcurunt, æque ac illa, quæ in ano, & circa naturalia mulierum exſudant, cruorem fundere poſſunt. Nam & interdum ſumma cutis, per quam vix quidquam moveri ſentimus, relaxatur ita, ut ipſe ruber ſanguis profluat. Puellæ quindecim annorum bene valenti, ſed per tres annos nimia menſtruorum purgatione, & a quinque annis nervorum diſtentionibus vexatæ ſanguis, quavis diei atque noctis hora, modo ſimul cum diſtentionibus, modo poſt eas, quaſi ſudor per cutim, in quacunque corporis parte erupit, ex auribus, labiis lingua, mammis, & per omnia membra, moxque iterum, abſque ulla nota, ex toto evanuit, ſic ut affectus, per quinquennium ſubinde decederet, ſubinde reverteretur. (*b*) Juvenis, poſtquam ab exercitatione, & vino incaluerat, ſanguinis guttas primo e gingivis, dein ex omni ſuperficie corporis, copioſe emiſit. (*c*) Et interdum ſtato tempore, ſanguis mingitur, non vitiato rene. (*d*) Denique, materies, quam cum cera con-

(*a*) Ib. dec. 2. a. 5. p. 108. dec. 3. a. 1. p. 106. Bagliv. l. 1. p. 110. Bartholm. hiſt. anat. 3. obſ. 19. (*b*) Th. Schwenek. ſang. hiſt. p. 130. (*c*) Hildan. cent. 6. obſ. 76. Ruyſch. adv. dec. 3. obſ. 3. (*d*) Aretæus de cauſ. morb. diut. l. 1. c. 3. Galen. de loc. affect. l. 6. c. 3. t. 7. p. 510. Stalp. v. der Wiel. cent. 1. obſ. 80.

conficiunt, ſi arteriis vehementius injicitur, per glandulas ſpurias, in ipſa inteſtina erumpit, nonnunquam amiſſo colore rubro. (*a*)

Igitur, cum fines vaſorum, quæ ad ea feruntur, facillime dilatari poſſunt, ſæpe, ſi ſanguis abundat, aut exæſtuat, magna copia, quamvis nulla exulceratio inteſtinorum anteceſſerit, effunditur, ſed ſine dolore. Atque, ubi rubet corpus, ſanguinis profuſiones, quæ certum habent circuitum, ſalutares ſunt, neque ſupprimi debent. Si vero quid parti, qua perrumpit, metuendum eſſe videtur, detractione facile quoque avertitur ſanguinis impetus. (*b*) Sed, quoniam fines tenues venæ, qua portæ modo ſanguis fluere ſolet, cum ramulis cavæ venæ committuntur, junganturque viis, quibus fel fieri incipit, nonnunquam etiam ora patefacta, per bilis itinera, ſanguinem, loturæ carnis ſimilem, in ſummum inteſtinum transmittunt: facilequé jecur, ex tenerrimis vaſis conſtans, ſub præcordiis, ab ipſo ſepto, & ventre, ſemper agitatum, cruorem atrabilatium, ore, vel alvo, reddit. Isque fluor, quem hepaticum vocant, demta materia, per ſe deſinit. (*c*)

Quod ſi vero tranſitus ejus in hepate difficilis eſt, ſanguis, curſu inverſo, per initia venarum, quæ in inteſtinis hiant, fluere poteſt. Nam ſi aqua in illam venam, quæ in jocinoris porta conſiſtit

(*a*) Ruyſch. Epiſt. 11. p. 9. 10. Theſ. an. 1. aſſ. 2. no. IV. Theſ. 3. no. 74. Theſ. 5. no. 101. van Swieten comm. t. 2. p. 375. Lieberkuhn. diſſ. de villis Inteſt §. 6. (*b*) Foreſt. l. 22. obſ. 20. (*c*) vid. v. Swieten comm. t. 3. p. 126.

ſiſtit, injicitur, in inteſtina deſcendit: pulchre ibi denſior quoque materies figuram teretem, oblongam, & abruptam cum colore ſuo retinet, & ubi refrixit, villos rigidos facit, eorumque oſculis inhæret. (*a*)

Sic in morbis humorum curſus ſæpe mutatur, maximeque in eo, quem interdum arquatum, interdum regium nominant. Pluribus, qui adhuc ſani videntur, ſubito intolerabilis anxietas accedit, vomitus inſequitur, & ubi viæ clauſæ ſunt, bilis ad hepar retrocedit, & per venam cavam, in totum corpus, diffunditur: interdum etiam cum urina excernitur; ſæpeque id malum, per certos circuitus, cum iisdem acceſſionibus redire conſuevit. (*b*) Boerhaave, ubi hepar centurionis, qui eo morbo diu tractus, ex aqua inter cutem perierat, vix palmæ magnitudinem, ſed corii craſſitiem habere invenit, ac ubi lien decies magis ſolito tumere, conſpexit, omnem ſanguinem a ventre, & inteſtinis allatum, in tunicis venoſis, quæ ad jecoris portam coëunt hæſiſſe ſuſpicabatur, donec, orto rigore, aut vomitu, ex venis ſub medio inteſtino diſcurrentibus, in arterias ſibi junctas, atque hinc, in ipſam magnam, reflueret, ac illo modo ſanguinis curſum inverti. Ruiſchius, ut experimentum faceret, rogatus, materiem ſuam, ex illis venis, in arterias tranſire, reſpondit. (*c*) Lieberkuhn, quamvis tercenties arterias, quæ ad inteſtina feruntur, di-

(*a*) Kaan de perſpirat. p. 204. Lieberkuhn. l. c. (*b*) v. Swieten. comm. t. 2. p. 192. t. 3. p. 94. (*c*) Haller. not. ad. Inſt. Boerh. §. 450. t. 3. p. 187.

diverſi coloris materie, quam venas, impleviſſet, quoniam, ob brevius iter, facillime it, reditque, difficulter in eodem villo arteriolas, alio colore, alio venulas tinxit. (*a*)

Vix autem, ſi neque tormina adſunt neque morbus præivit, aliquæ notæ indicant, e quibus vaſis ſanguis effluxit. Cruenta, ſincera, quæ absque dolore, aut deſidendi cupiditate, modo ante, aut poſt fæces, modo inter excernendum deſcendunt, ex oris venarum, in interiori ano, ſtillare videntur (*b*) eaque ſeorſim cum ſtercore non permiſta apparent. (*c*) Nonnunquam, ubi in laxiori inteſtino coëunt, rubra concreta procidunt. Vaſa, ſub medio inteſtino poſita, paucum ſanguinem fundunt, non liquidum, aut rutilum, ſed atrum, longo atque ſinuato itenere, coactum. (*d*) Profuſiones vero aquæ ſimiles, in qua recens caro lota eſt, utique ab hepate oriri, manifeſtum eſt (*e*) ſiquidem dilutus ſanguis in ejus porta confluit.

## §. II.

Periculoſe autem, vi morborum, ſanguis ita ſolvitur, ut vaſis teneri non poſſit. Sæpe maculæ nigræ, quibus cancer diſcernitur, cutim cum variolis occupant, & ſanguis vitiatus undique profluit. (*f*) Avicenna cruentum alvi profluvium in eo morbo peſſimum eſſe, jam olim confeſſus eſt (*g*).

Ri-

(*a*) Diſſ. de Villis Inteſt. p. 4. 7. (*b*) Fernel. pathol. l. 6. c. 10. p. 400. 401. (*c*) Ib. c. 11. p. 403. (*d*) Ib. c. 10. p. 400. (*e*) Galen. l. 5. de loc. aff. c. 8. t. 7. p. 499. vid. Aretæum de curat morb. diut. l. 1. c. 13. (*f*) Mead. de variol. c. 2. (*g*) tom. 2. l. 4. fen. 2. tract. 4. p. 73.

Riverius ex omnibus pueris, ejusmodi fluore ægris, unicum tantum ſanitatem recepiſſe, vidit: reliquis, præcipue ex ingenti profluvio, mortem inſtare, certo præſagiit. (*a*) Fruſtra etiam ſydenhamus, quamvis fervorem leniendo, puſtulas lividas diſcuteret, terribilem ejus impetum prohibere, conatus fuit (*b*). In conſtitutione tamen anni 1733, ſanguinem, quibus ex veſica inteſtinisve proceſſit, commodo ſupprimere potuit ſpiritus vitrioli multum aſſumptus. (*c*) Utiliaque ſunt in eo caſu, quæ ſanguinem cogunt, ne ex minimis arteriis erumpat, maximeque, inter hæc, cortex Peruvianus, alumen, oleum vitrioli: (*d*) eaque medendi via, nonnunquam ſanitas redit. (*e*) Variolis, quæ plerosque, anno 1735, peſſime infeſtabant, ſæpe acceſſerunt omnibus corporis partibus ſanguinis profluvia, & puſtulæ lividæ, aut nigræ: atque ex his malis fere omnes moriebantur. Sanguis quoque vena miſſus ita tenuari & corrumpi coeperat, ut frigore juxta conſuetudinem, non coiret, ſed, ac ſi putris ſanies erat, diffluerer. (*f*) Verum in idem tempus peſtilens febris incidit, quæ frequenter cum puſtulis aut petechiis purpureis, & lividis orta, ægros dejectionibus, cum tanto foetore, interemit, ut nonnunquam funera, intra 24 horas, efferri deberent. (*g*) In hoc genere morborum, mox inter initia, raro poſtea, ſan-

(*a*) Centur. 1. obſ. 71. p. 486. (*b*) p. 160. 551. 541. (*c*) Medic. eſſ. Edenb. t. 3. art. 2. (*d*) Mead. de Variol. c. 3. (*e*) Ib. (*f*) Huxham. obſ. de aer. t. 1. p. 103. (*g*) Ib. p. 105. 106.

ſanguinem miſiſſe profuit. Temeraria ejus detractio parum tuta erat. Cruor effuſus vix unquam craſſus; ſerum, aut viride, aut, quod pejus, ſubrubrum, apparuit. (*a*) Optima vero fuerunt, quæcunque bono odore roborant, quæque leniter ſanguinem reprimunt (*b*). Nam, ut ex ictu humor ſuffunditur ſub cute, & color coeruleus fit, ſic tenuis ſanguinis curſu, in arteriolas, per quas ſerum naturalitur fluit, peſtiferæ maculæ & vibices oriri vindentur: ac ſæpe evenit ut globuli rubri, ex toto, ſolvantur, & copioſe, quavis parta, prorumpant. Ideoque variolis, febribusve, quibus maculæ accedunt, apta ſunt, quæcunque acida, & quæ auſtera ſunt: ſanguinis detractio magis inimica eſſe, quam convenire videtur. (*c*) Variolæ, mitiores cæterum, nautis, militibus, captivis atque ſcorbutius funeſtæ obſervantur, atque in his ſanguis male cohæret (*d*).

Similiter, ubi diutius manet morbus arquatus, omnis humor vitiatnr, ſæpeque ſanguinis profuſiones ingens periculum afferunt. Unicaſpes eſt, in acidis, aquis acidulis, & quibus eadem vis eſt. (*e*)

In aliis quoque morbis, maximeque in peſtilentia, ſanguis non coire ſed vitioſe diffluere ſolet. (*f*) Quam ob cauſam Pareus, ubi cruor ſincerus, præter alios humores, ſubinde deſcendit, fer-

(*a*) Ib. p. 108. (*b*) Ib. p. 109. & t. 2. p. 122. (*c*) Ib. p. 116. t. 1. (*d*) Ib. t. 2. p. 66. 151. (*e*) Ib. t. 1. p. 142. & ſeq. (*f*) Shwencke hiſt. ſang. p. 129. vid. Huxham. Eſſ. of Fevers c. 5.

firmis etiam militibus certam mortem denuntiare potuit: eorumque corporibus inciſis, laxata oſcula vaſorum, quæ in inteſtina hiant, ac ſi racemi erant, tumere, & digito preſſa ſangunem emittere, conſpexit. (*a*) Eademque ratione Diemerbroeckius, ubi cruenta dejectio incepit, (*b*) aut ſanguis, per urinæ iter, erupit, ad ultima jam ventum eſſe, teſtatus eſt. (*c*) Quinetiam quodvis ſanguinis profluvium, ſemper ſupprimi debere, ſæpe non poſſe, animadvertit: (*d*) ejusque ex naribus curſus, ſi die judicationis intervenit, ſummum periculum habere, alio die, ipſam mortem oſtendere, deprehendit. (*e*) Idem quoque diſcrimen eſſe a ſanguinis mictu, & mulieri a purgatione: (*f*) adeo ut venam incidere, utique in hac peſtilentia, inimiciſſimum eſſet. (*g*)

In torminibus etiam interdum ſanguis ſolvitur: qualia ſunt ea, quæ, cum maculis lividis, indos infeſtant. (*h*) Interdum vaſa inteſtinorum tantummodo relaxari videntur. Quæ Londini quolibet anno pervagantur, quamvis multus cruor, pluribus diebus, deſcendere ſolet, non tamen peſtilentia, aut mortifera ſunt. (*i*) Et quæ ægros, in conſtitutione anni 1671, vehementer excruciarunt, non cito perimere, ſed diu, interdum, per

(*a*) L. 22. c. 47. p. 564. & c. 30. (*b*) de peſte. c. 15. no. 20. p. 68. (*c*) Ib. no. 24. (*d*) Ib. p. 70. & l. 3. c. 10. p. 173. 242. (*e*) Ib. l. 1. c. 15. no. XI. p. 68. 71. (*f*) Ib. no. 24. 25. (*g*) Ib. l. 2. c. 8. p. 103. l. 3. c. 3. p. 130. (*h*) Bontius de mad. Ind. p. 106. 107. (*i*) Willis pharm. rat. ſ. 3. c. 3. p. 49.

per menſes, multum ſanguinis quotidie fundere; conſueverunt: firmis quoque, & qui commoda medicina uſi ſunt, ſæpe pepercerunt. (*a*) Quod, ſanguine multum ſoluto, aut vitiato, ſperari non poteſt. Semper autem, ubi is, ex ſolis inteſtinis, procedit, reſolutio vaſorum, quæ in eo loco exſudant, accedat, oportet.

## CAPUT IX.

### *De Hæmorhodibus.*

Sæpe in ano, ora venarum tanquam capitulis quibusdam turgentia, ſanguinem fundunt αἱμοῤῥοΐδας græci vocant. Idque etiam in ore vulvæ fæminarum incidere conſuevit.

Hoc autem vitium, modo extrinſecus, modo intus ortur: prius in ano conſpici poteſt; eſtque vel cœcum, vel apertum: cœcum vocant, quod nihil ſanguinis fundit, & intuentibus minus patet, ac vehementem in ano dolorem, maxime ubi durum ſtercus exprimitur, movet. Quod vero jam patefactum eſt, ſanguinem interdum ſponte, ſemper in conatu, maxime, poſt extremam alvum, emittit. Quod intus occulitur, fere, ſine dolore aut tumore, cruenta dejicit, isque cruor deſidendi cupiditate exit, fæcibus non immiſtus. (*b*)

Quic

(*a*) Ib. p. 78. (*b*) Fernel. pathol. l. 6. c. xı. pag. 403. Lommius obſ. l. 2. p. 174.

Quicquid autem venas, quæ in interiori tunica & cellulis recti inteſtini poſitæ ſunt, premit, nodos aut varices circa anum, extus & intus efficere poteſt. αἱμοῤῥοΐδας cœcas nominant. Hæ, ſi nimia diſtentione, aut duri ſtercoris exitu, rumpuntur, ſanguinem fundere ſolent, & venis compreſſis, arteriolas ſubinde tumores occupant, quos ἀνευρίσματα vocant. (*a*) Sæpe tamen, ut in naturalibus mulierum fieri conſuevit, ora arteriarum adaperta ſanguinem fundunt.

At vix ea, ſimiliaque ſanguinis profluvia, ante pubertatem inchoantur (*b*). Sed incipiente jam pube, ejus ex naribus curſus, & poſt adolescentiam, per quædam etiam, velut ora venarum profuſio fit: hique proprii ſunt huius ætatis affectus (*c*). Siquidem tum ſanguis abundare incipit, non quod copioſior, quam antea, fiat, ſed quod nunc minus conſumatur, quia vix amplius hac ætate corpus increscit (*d*) fereque eodem tempore, & ob eandem cauſam, mares ſanguinem fundere, mulieres menſtruas purgationes habere videntur, ut, cum ante, corpus ſimul & nutriri, & adolescere ſolet, jam nutritionem ſuperans materia dematur. (*e*) Muriſaber ab anno ætatis 20 ad 60 usque ſanguinem dejecit, cum iisdem acceſſionibus, quæ mulieri, cui menſtrua proveniunt, ſupervenire, con-

(*a*) Vid. not. in inſt. Boerh. § 112. Haller. t. 1. p. 418. Le dran operat. de Chirurg. p. 229. (*b*) Hipp. coac. 512. ed. mack. t. I. p. 182. (*c*) Hipp. aph. 3. 27. 30. Galen. in l. c. t. 9. p. 127. (*d*) Galen. in aph. 3. 27. t. 9, p. 127. (*e*) Ballonius de morb. mul. t. 4. p. 27.

conſuerunt: iisdem quoque remediis, quibus vulvæ ſuccurritur, nimiam purgationem coercuit, ſuppreſſam ſolvit. (*a*) Quibusdam vero ſimili modo, ut ex ano ſanguis etiam, per circuitus, ex veſica fertur: hujusmodi affectus hæmorrhoidum profluvio ſimilis eſt: ſimilis quoque eſt corporis conſtitutio: & quum excretus eſt ſanguis caput levius & agilius redditur: At ſi per circuitum nihil ſanguinis effluxerit, capitis dolore vexantur, oculorum acies hebet, tenebræ eis obverſantur, vertiginem patiuntur. (*b*) Solent enim, ut in podice, vel fæminarum ſinu, aut matricis collo, etiam in veſica hæmorrhoides per intervalla ſanguinem fundere (*c*). Nonnunquam, ſuppreſſis ani venis, vaſa renum patefacta ſanguinem transmittunt, ad quod medicus attendat oportet. (*d*) Vir, cui conſuetum ſanguinis profluvium, per ſe, deſierat, certis intervallis, in mictum cruentum incidit: qui iterum, venis ani adapertis, ceſſavit. Similiter, ex menſtruis ſuppreſſis, ſanguis mulieri ex veſica ordinate proceſſit, &, ubi. juxta, talum, evocatus erat, impetus averti potuit. (*e*) Sed vaſa, quæ ad inteſtinum rectum porriguntur, & quæ urinam dimittunt, & quæ in utero ſtillant, ex eadem regione incipiunt.

San-

(*a*) Miscell. n. c. dec. I. a. 2. p. 291. (*b*) Aretæus l. 2. de cauſ. morb. diut. c. 3. (*c*) Coel. aurel morb. chron. l. 5. c. 4. p. 574. (*d*) Vid. foreſt. l. 24. obſ. 9 act. phyſ. med. vol. I. obſ. 46 vol. 5. obſ. 107. vol. 6 obſ. 3. miscell. n. c. dec. 3. a 9 & 10. obſ. 119. (*e*) Galen. de atra bile c. 8. t. 3. p. 176.

Sanguinem etiam ora venarum, niſi ante ſolita fuerint, non fundunt, ab anno quadrageſimo ſecundo, usque ad annos ſexaginta tres. Quia illa ætate, copia ſui, non male habet. Eraſis ratus, cum quibusdam ſanguis ex naribus, aut ex ano, modo per certos circuitus, modo inordinate procedit, & quibusdam ſubinde detrahitur, profuſionis conſuetudine tantum neceſſarias fieri, dixit; ſed ob quam cauſam prima incepit, plures deinde eadem opus habent, ut a nimia ejus abundantia natura, vel arte liberentur (*a*).

Vere tamen maxime, quæcunque humoris motu novantur, in motu eſſe conſuerunt. Ergo tum profuſio ſanguinis oriri ſolet: quia plenæ venæ tument, corpus rubet, & calor omnis, ut ſanguis prorumpat, efficit (*b*). Ideoque, ſi hyeme plenior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior,' qui eo ani affecta laborat, immodice bibit, ipſi multum ſpei eſſe, ut, circa ver, ſanguinem alvo reddat, præſagire licet. (*c*) Nam is tunc in vaſis accumulatus, cutim facit rubicundam, & quibusdam, ut mulieri menſtrua feruntur, ex naribus, aut ano erumpit, vel etiam vomitu expuitur (*d*)

Per hyemen vero potiſſimum, cum corpora magis implentur, boni ſanguinis copiam augeri, hominum non in ſe ſolum, ſed etiam animalium expe-

(*a*) Galen. de conſuetud. c. 5. t. 6. p. 545. (*b*) Hipp. de natura homin. c. 3 ed. mack. t. I. p. 101. aphos. 3. 20. (*c*) Hipp. l. 2. prædict. c. 2. t. I. p. 120. (*d*) Galen. comm. in aph. citat. t. IX. p. 115. in l. de natur. human. t. 3. p. 119.

perimento cognitum eſt. Veterinarii ſub finem veris, priusquam æſtas incipit, tum ſibi, tum illis, ſanguinem detrahunt, memores morborum, quibus conflictari ſolent, ſi calor frigus ſubito inſequitur. Eo enim ſanguis augescit, & exæſtuat, neque amplius vaſis, per quæ hactenus fluxit, teneri poteſt: ſed aut ea rumpit, aut exedit, vel in aliqua parte inflammationem excitat (*a*). Igitur is, qui ſuſpecta habere ſua bona debet, circa vernum tempus ſanguinis miſſione, cavere oportet, ne in morbum incidat. (*b*) Ipſe Helmontius, ex ruſticis ſuis petulantibus, & ſanis, qui altera die feſti, quod πεντεκοστος a Chriſtianis nominatur, ſanguinem mittere ſolebant, discere potuerat, ubi ducentorum cruores, unico die, examinat, ſanguinis copiam, quamvis adhuc nihil lædat, minui debere, ut mala avertantur, quæ facillime, ſi quicquam accedit, ſupervenire conſuerunt. Nam dum, *ara nudus ſere nudus* (*ignava hyems colono frigoribus parto*) *plerumque agricolæ fruuntur, mutuaque convivia, inter ſe læti curant: invitat genialis hyems, curasque reſolvit.* (*c*) atque adeo plus ſanguinis, eo tempore ſubeſt, ne, ſub fervido cœlo, calor increscat, venæque pleniores tumeant, antequam potui meraciori indulgent, recte ſanguinem detrahi volunt, fortaſſe proprio damno edocti. (*d*) Namque ea cor-

(*a*) Galen. comm. in hipp. aph. 1. 15. t. 9. p. 31. (*b*) Hipp. aph. 1. 3. 6. 47. 7. 53. galen. comm. in hipp. aph. 6. 47. t. 9. p. 280. Aretæus de cauſ. acut. morb. l. 2. c. 2. de cauſ. morb. duit. l. 2. c. 3. (*c*) Virgil. georg. l. 1. vs. 298. (*d*) Helmont. de febr. c. 2. § 25.

corpora, quæ more athletarum repleta ſunt, inflata vino rubent, prominentibus venis, tuncque vel obmuteſcunt, vel ſanguinem profundunt (*a*).

Sed, ut mulieribus, quia molliora corpora habent, menſtrua tuto feruntur, ſic viris plenioribus & obeſis, mediocre profluvium ex ano non infrequens, aut inutile eſt: maxime ſi in adoleſcentia ſanguis ex naribus aut vomendo erupit, & ignavia corpus hebetat (*b*) eumque, cui mature hæ venæ pateſiunt, neque lateris aut pulmonis tentare inflammatio, neque ulcera exedentia, neque cutis vitia, quam λεπρὴν & ἐλεφαντίασιν græci vocant, neque atrabilis aut quartana febris ſolet. (*c*) Idque plurimis, demta ſanguinis copia, adverſæ valetudinis præſidium eſt. (*d*) Atque in quibusdam parum tuto ſupprimitur, qui eo imbecilliores non fiunt, habent enim purgationem hanc, non morbum: Ideoque curati quidam, cum ſanguis exitum non haberet, inclinata in præcordia ac viscera materie, ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt, quales ſunt, laterum & renum dolores & furor, quam atra bilis concitat, maximeque per quasvis vias inſolita ſanguinis profuſio (*e*). Ideoque curationem adhibere Alcippo diſſuaſum fuit: &

(*a*) Hipp. aph. 5. 5. de morb. l. 2. c. 7. Ed. mack. t. 2. pag. 214. Aretæus de cauſ. morb. acut. l. 2. c. 2. (*b*) F. Hoffman. med. rat. t. 1. p. 230. 231. t. 3. p. 203. (*c*) Hipp. de humor. c. 8. Ed. mack. t. 1. p. 89. l. 6 Epid. charter. t. 9. p 469. (*d*) Galen. de Curand. rat. per. v. s. c. 6. t. 10. p. 434. Comm. in l. hipp. de humor. t. 8. p. 578. (*e*) Hipp. l. de humor. & Epid. 6. locis citat. & galenus comm. in loco citata.

& quidem merito: curatus enim in inſaniam incidit, quæ febre acuta ſuccedente ceſſavit. (*a*)

Cui vero hæc profluvia non respondent, ne gravi morbo conflictetur, loca irritanda ſunt, & alvus ſolito profuſior ſervanda eſt. (*b*) Sanguinem quoque, ſi cunctatur, neque descendit, antequam copia ſui nocet, mittere expedit, potiſſimum, ſi inſtantis valetudinis ſigna adſint, veluti in his, qui laterum dolore, aut ſputo cruento vexari ſolent, aut pulmones affectos habent. (*c*) Nam Juxta Hippocratem, quæcunque recte fiunt, ubi morbus præſens eſt, ea, ubi incipit, vel inſtat adhibere, ſatius eſt, ipſumque antevertunt. (*d*) Protinus igitur, quamvis antea nullo malo graviter laboravit, vena incidenda eſt, ſiquidem ad id ſuscipiendum aptus eſſe poteſt, nondum tamen ob ſolitam profuſionem quidpiam perpeſſus. (*e*) Galenus, cum Romam appuliſſet, quosdam medicos ſanguinis detractionem vehementer horruiſſe queritur, adeo, ut potius, quam venas incidi, ægrum ex nimia abundantia ſtrangulari ſinerent. Atque mulieri per hanc occurrere veriti, cui anno ætatis vigeſimo primo, ex menſtruis ſuppreſſis facies ruba erat, tuſſis, & ſpiritus difficultas, fruſtra iis, quæ vulvam purgare dicuntur, opem ferre conati fuerunt, namque ſpirandi difficultas eam ſtrangulavit. (*f*)

Na-

(*a*) Hipp. epid. 6. t. 9 p. 333. (*b*) Aretæus de curat. morb. diat. l. 1. c. 5. (*c*) Id. ib. Galen. de curand. rad. per v. s. c. 6. 7. t. 10. p. 434. 435. (*d*) Ib. c. 9 p. 438. (*e*) Ib. p. 439. (*f*) Id. de v. s. adverſ. Eraſiſtr. c. 1. t. 10. p. 406.

Naturam autem ubique in ejus modi morbis imitari, & ſanguinem mitti juxta talos convenit: maxime ſi hirudines non momorderunt, quæ prima curatio eſſe debet (*a*).

Antiqui per ora venarum ſubitas profuſiones, vel tormina, inſaniam tollere putabant, non ſolum, quia ſanguis abundans, ſed craſſus etiam & cum atra bile mixtus funditur. (*b*) Varicemque itidem ortum prodeſſe, quia ſanguis ater & biliofus, quæ inſaniæ cauſa eſt, in partes inferiores, circa femora, & ad crura deſcendit (*c*).

Verum non ſolum viri, ſed etiam fæminæ, quæ menſtruis non purgantur, ſi ſanguinem ex naribus fuderunt, omni periculo vacant, & nonnunquam eum per intervalla ano utiliter reddunt (*d*). Maximeque inter has viduæ (*e*) & quæ ætate provectæ pleniores manent (*f*). Interdum quoque fit, ut, quibus ſanguis abundat, profluvio ani æque, ac vulvæ lætentur & ſi illud deſinit, quamvis hoc bene procedit, inflationibus laborent. (*g*) Sæpe etiam in gravidis, ubi purgatio ceſſavit, ora illa venarum pateſiunt, aut promoventur; & quandoque poſt partum ſanguinem cum uteri profuſione emittunt. (*h*) Atque mulieri prægnanti inter initia,

(*a*) F. Hoffman. med. rat. T. 3. p. 209. 210. (*b*) Galen. comm. in hipp. aph 6. 11. T. 9. p. 254. (*b*) I.l. comm. in aph. 6. 21. p. 260. (*c*) Hipp. coac. 522. Eo. mack. T. 1. p. 183. Galen in hipp. aph. 5. 33. T. 9. p. 214 Heurnius comm. in aph. 6. 11. Miscell. N. C. dec. 1. a. 3. p. 41. dec. 2. a. 5. p. 52. (*e*) Holler. l. 1. de morb. int. c. 55. duret. ib. (*f*) Bagliv. de fibra motrice prop. 1. (*g*) F, Hoffman. ib. p. 204. (*b*) Duret. in. Holler. ib. Hoffman. l. c. p. 203.

tia, ob menſtrua ſuppreſſa, quorum copiam partus digerere nondum poteſt, ſanguis ex ano prorumpit (*a*) poſtremis menſibus, & inter parturiendum, ob uterum ſupra inteſtinum rectum prementem, alvus non niſi coacta reddit, & ani vaſa, dum ægre transmittunt, tumescunt, veluti his, quibus ventrem comprimit labor, & athletica valetudo (*b*).

Hippocrates hunc affectum in regionibus ſub meridiem poſitis homines magis infeſtare animadvertit. Hodie tamen ubique viri ſeptentrionales, cum corporum ſuorum robora, effæminatis moribus, minuerint, molliti, muliebri quoque profluvio laborant. Idque vitium inbecillis, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi litterarum ſunt, frequens eſt, ſi quod vel corporis vel ſtudii ratio detrahit, cura non reſtituat. Atque hæreditarium quaſi, a parentibus in liberos latius ſerpere, experientia docet. Hoc tempore plurimi etiam medentium, qui omnes fere longos morbos ex ejus ſuppreſſione oriri, male putant, pilulis, præcipue quæ aloen in ſe habent, illud in corporibus prius ad id non diſpoſitis, provocant (*c*). Namque aloe ora venarum ani, æque ac vulvæ, aperit: & ſi harum alterutra ſolitum ſanguinem non fundunt, recte aſſumitur (*d*). Siquidem ex centum qui ſæpius ejusmodi pilulas de-

(*a*) Duret l. c. mauriceau mal. des femm. groſſ. l. 1. ch. 18. (*b*) Id. ib. & l. 3. ch. 6. (*c*) F. Hoffman. ib. p. 203. 204. (*d*) Geoffr. mat. med. t. 2. p. 658.

devorant, nonaginta in tale profluvium incidunt (*a*) quod olim venetiis, patavii, & in vicinis regionibus, frequens ubique erat, quia ſæpe purgatione, aut lotionibus alvum movebant, aut glandes ſupponebant, & ob tumores lienis ibi frequentes aloen dabant (*b*).

Neque vero is ſanguinis curſus ſemper utilis cenſeri debet: prodeſt tantummodo, ubi repletum corpus, & ſi nigra excernuntur, atque hujusmodi humor abundat. Æque enim magnum malum eſt, ſanguinem, ſupra modum, effundi, quam ex toto ſupprimi (*c*) & ſæpe nimia profuſio interitum ſecum affert, aut in aquam inter cutim, & malum corporis habitum tranſit: quam ob cauſam nonnulli ab ea liberari volunt (*d*) quæ natura quoque contraria eſſe videtur, cum, qui modico victu, & exercitatione corpus firmat, illo adjumento non indiget (*e*),

Itaque iſtud profluvium, quod multis nimio impetu, aut ſubita profuſione periculum facit, & dolores vehementes movet, niſi neceſſitas urget, ex conſuetudine fieri non oportet (*f*) Neque illis credendum eſt, qui pleroſque morbos ob ſanguinis copiam, ex menſtruis & ani venis ſuppreſſis, oriri contendunt (*g*) utileque tantum hoc genus auxilii eſt,

(*a*) R. a. Fon ſeca T. 1. conſult. 27. (*b*) Id. ib. & conſult. 28. (*c*) Galen. in I hipp. de humor. T. 8. p. 577. Fernel. pathol. l. 6. c. 11 p. 404. (*d*) Galen. de curand. rat. per. v. s. T. 10. p. 449. (*e*) Duret. in Holl. l. 1. de morb. c. 55. (*f*) Martian. in hipp. coac. hipp. p. 393. ballon. l. 3. conſil. 98. (*g*) F. Hoffman. med. rat. T. 3. p. 211.

eſt, quoties atra bilis intus nocet. Ac eorum quoque vitia, qui vanas imagines accipiunt, ſic optime curantur. Et his, quibus ſolita ejus profuſio ſuppreſſa fuit, poteſt convenire, maxime ſi ſanguis, qui huc tendere aſſuevit, alia parte minus tuto prorupit. Quando hirudines, quas ſanguiſugas vocant, ano admovendæ, quæ ſanguinem hac parte extrahunt; decidunt ſatietate, & pondere ipſo ſanguinis detractæ, aut ſale asperſæ: Aloë etiam hæmorrhoidas pellit, ſubdita pro balano, quas & revocat, ſi devoretur: cæterum, qui ex animi intemperie & jactatione oriuntur affectus, quos hypochondriacos vocant, hæmorrhoides quidem excitant, quæ tamen ægritudinem non levant; male igitur hoc in caſu, ſi deficiant, per artem eliciuntur. (*a*)

Febres autem illa profuſione vix unquam terminari videmus: quo fit, ut ſæpe hæ venæ non ſine periculo aperiantur, potiſſimum in febribus acutis: fruſtraque contrarium experientia in ipſis curationibus docuiſſe, dicitur, quia, ſi quid contulisse viſum fuit, id minus auxilio, quam tempori, quo datum fuit, & genio morbi per ſe facilis, tribuendum eſt. Nam, dum plerumque in ipſo vigore ſanguis ex ano elicitur, & non longe poſt, plurimi morbi, præter peſtilentiæ caſum, ad ſanitatem ſe inclinare incipiunt, vulgus, quoniam ſolutio morbi ſubito inſequitur, id quam maxime prodeſſe credidit, quod multis noxam & mor-

(*a*) Ib. p. 212. 3.

mortem attuliſſe manifeſtum eſt; cum quidam ex imbecillitate deficiant, quidam, humoribus in caput concitatis, inſania, vel dormiendi neceſſitate opprimantur, dum is, quem hirudines non vexarunt, parum periclitatur: ob quam cauſam in omnibus id auxilium non convenit; atque in febribus hæc profuſio, tum demum, ubi æger ei maxime aſſuetus eſt, excitari oportet. Neque Hippocrates, ubi dixit, dolores ex lumbis diuturniores, qui febre tertianæ generis modo exacerbantur, grumoſum ſanguinem dejicere faciunt (*a*), eam intellexiſſe videtur; ſiquidem ora venarum ani patefacta (niſi pars quædam inteſtino recto inhærens coit) ſanguinem non fundunt in grumos concretum, atque adeo, ſi ea morbum ſolverent, ſanguis non grumoſus exiret. (*b*) Accedit ad hoc, quod repugnante natura, medicina nihil proficiat, neque hactenus remedia cognita ſint, quibus vaſa iſta certo, & tuto aperiri quant: quæ eo fine adhibentur, non nunquam mala, a medico imperito ſuppreſſioni adſcripta, efficiunt (*c*). Atque Hippocrates iis, quibus hæmorrhoides non proveniunt, ſanguinem mitti jubet (*d*) de earum admonitione parum ſollicitus; ſic & fœminis, quibus menſtrua non proveniunt, interdum in febribus ſanguis mittendus eſt. Sed

(*a*) Coac. 305. Ed. mack. T. 1. p. 164. (*b*) Martianus in coac. cicat. duret. in coac citat. (*c*) Vid. v. Swieten. comm. T. 2. p. 333. F. Hoffman l. c. p. 213. 214. 215. (*d*) Coac. 346. Ed. mack. T. 1. p. 167. aretæus de curad. morb. duit. l. 1. c. 3.

Sed qui profluvium ſupprimi nolunt, auctoritate Hippocratis uti conantur, cum dicat, plurima mala eo præcaveri (*a*) quia quicquid abundat, aut corruptum eſt, hac via educitur (*b*): verum addit, intempeſtive curatos iis malis corripi, quæ cæterum hæc evacuatio antevertit (*c*). Et male medicus curat, qui non ſanguinis miſſione, medicamentis, aut exercitio materiem detrahere molitur, omniaque capitula ſimul tollit (*d*). Nam ſub eodem, quicunque vetus vitium ſanaturus eſt, ne aquam inter cutum, aut tabem ſubſequi periculum ſit, unum relinquere debet, quo malus humor, per ea ſundi ſolitus, exeat (*e*) maxime, cum ſanguinem mittendum eſſe, non ſemper indicia ſint (*f*). Aetius vero, ſi modico victu, & ſanguinis miſſione, apto tempore, ſuccurritur, omnia ora venarum tuto ſupprimi poſſe, exiſtimat, & Hippocratem, hoc in loco, cum de ſanatione agat, tabem, aut aquam inter cutum, niſi unum ſervetur, non timere contendit, ſed ſi qua intemperantia ſubeſt, & æger non ſibi cavet (*g*) neque id omnino a vero alienum eſſe videtur quia alibi capitula ita aduri præcepit, ut nulla inuſta remaneant, ſed omnia undique abſumantur (*h*).

Galenus tamen unum relinquendum eſſes intellexit

(*a*) De humor. c. 8. Ed. mack. T. 1. p. 89. l. 6. epiden. charter. T. 9. p. 469. (*b*) Galen. in hipp. de humor T. 8. p. 576. (*c*) Locis citatis. (*d*) Galen. in loc. citat. (*e*) Aph. 6. 12. galen. in aph. citat. T. 9. p. 254. (*f*) Id. in hipp. de humor. T. 8. p. 577. (*g*) Tetrab. 4 ſerm. 2. c. 5. (*h*) De hæmonhoid. charter. T. 12. p. 148. 150.

lexit (*a*) & Celſus, ſi ora venarum, ſanguinem ſolita fundere, ſubito ſuppreſſa ſunt, aut aquam inter cutim, aut tabem ſequi, interpretatus eſt. (*b*) Paulus quoque, ſi plura ſunt, unum maluit, purgationis cauſa, apertum tenere (*c*): idque etiam ubi eorum curam tradit, ſuaſit Hippocrates (*d*). Quæcunque autem vera ejus opinio ſit, vix dubitari licet, quin omnia tolli poſſint, ſi modo ſanguinis copia, & malus corporis habitus, ante vertitur, & natura ſenſim ab hac profuſione deſueſcit. Id, duce Avicenna, optime fit incidendo, ſi plura ſunt, non omnia ſimul, ſed unum poſt aliud. (*e*) Inter hæc, ubi refectus eſt æger, Elleboro, ſive potius, quæ bilem leniter evocant, alvum ducere decet, exercitationibus ſudores elicere, & ante exercitium, mane, multas frictiones adhibere: curſum vitare, ebrietatem, & acria, vomere ſeptem diebus, aut ter in menſe (*f*) ſanguinem quoque interdum ex brachio mitti expedit. (*g*) Difficillima tamen curatio eſt, ſi ad animum ægri, cui inutilis libertas eſt, non ad morbum, reſpicis; ideoque in iis, qui ex toto ſibi temperare non poſſunt, tentanda non eſt, ſiquidem dolorem & mille tædia deſiderat. Nam in quo id vitium curandum ſuſcipitur, ei vena incidenda eſt, ſobrium vitæ genus ſectandum, multa exercitatione

(*a*) Galen. in Hipp. aph. 6. 12. t. 9. p. 254. (*b*) l. 2. c. 7. (*c*) l. 3. c. 60. l. 6. c. 79. (*d*) de Victu acutor. Ed. Mack. t. 2. p. 134. (*e*) l. 3. fen. 17. tr. 1. c. 4. (*f*) Hipp. de Victu acut. l. c. (*g*) Aet. l. c. Celſ. l. 6. c. 18. Holler. l. 1. de morb. int. c. 55.

ne digerenda materies eſt & unum capitulum, quo fluor non nimis ſubito, ſed lente cohibeatur, relinquendum, donec, corpore bene ſanato nullum amplius apertum tenere opus ſit. (*a*) Quibus vero alvus non movetur, nec ſanguis detrahitur, triſtitia & obſcoenis ſomniis affligi ſolent (*b*) fereque, penes ægrum, arbitrium eſſe poteſt, num unum, quo ſanguis certis circuitibus feratur, ſervari velit, an venæ ſectione & medicamentis, per intervalla, ſeſe obligare, niſi forte his deterior fit, aut gravius fert profluvium ex ano (*c*) Et, qui eo ſuppreſſo, inſolitam triſtitiam experiuntur, commodiſſime ſanguinem iterum, hac parte herudinibus eliciunt. (*d*)

Anus vero vitia, ubi medicamentis non vincuntur, manus, quoque auxilium deſiderant: de quo multa antiqui authores poſuerunt: quod tamen recentiores viri, cum ægros macie extenuari ſinant, ob imperitiam, vel metum, aut deſidiam, aut propter quendam pravum animi affectum, plerumque adhibere, male negligunt. (*e*) Nam anus aduri, incidi, conſui, exedi, quamvis ea terribilia eſſe appareant, ſine ulla noxa poteſt (*f*) mulier, quæ menſtruis bene purgabatur, ſanguinem tamen nonnunquam ſupra dimidiam libram, ante, & poſt fæces, octo menſibus, ano excrevit: eaque, fluore ſuppreſſo, dum menſtrua ordinate pro-

(*a*) Holler. l. c. (*b*) Id ib. (*c*) Hildan. l. de valetud. tuend. p. 645. (*d*) Le Dran. trait. des operat. p. 237. (*e*) Severin Pyrotechn. l. 2. part 1. c. 97. (*f*) Hipp. de hæmorrh c. 2 Charter. t. 12. p. 148.

procedere pergerent, vires ſuas, quæ pene defecerant, feliciter recepit (*a*) & viro, qui a dolore in vehemens profluvium inciderat, capitulis inciſis, ligatis, & aduſtis, brevi priſtina ſanitas rediit. (*b*) Idque etiam, in alio, quod cujuſvis quoque generis medicamenta non præſtare valuerant, ignis ſubinde adhibitus effecit. (*c*)

Si ora venarum tanquam capitulis quibuſdam turgent, neque ſanguinem fundant, hirudines admotæ ſanguinem extrahunt; ſi contra ſanguinem fundant, varia ratione tolluntur. Optima eſſe videtur, ſi capitulum exiguum eſt, baſinque tenuem habet, filo adſtringere paulum ſupra, quam ubi cum ano committitur, quia nullum ſanguinis profluvium excitat, & ubi filum decidit, vix vulnus remanet. Si id majus eſt, & baſis latior, hamulo excipiendus eſt, paulumque ſupra baſin incidendum, neque relinquendum quicquam ex eo capitulo, neque quicquam ex ano demendum eſt: quod conſequitur is, qui neque nimium, neque parum hamos ducit: vel acus debet immitti, infraque eam lino baſis capituli conſtringi. Si ſanguis cum impetu profluit, ſupra lanam impoſitam, digito aliquantum comprimendus is locus, & ſic deligandus. Si duo, plurave ſunt, omnia ſimul curanda, ne, tempore eodem, quo prius inciditur, reliqua dolor recondat. Quo autem magis ora promoveantur, alvus lotione ducenda eſt; eoque fit, ut omnia

(*a*) Epiphan. Ferdinand. hiſt. med. 16. (*b*) Alex. Maſſ. f. pract. med. l. 3. c. 24. (*c*) Severin. pyrotechn. l. 2. part 1. c. 97.

nia vaſa quaſi capitula conſpicua tolli poſſint, natibus diductis. Ubi vero plura abſciſſa ſunt, neceſſarium eſt, intimam inteſtini membranam laxatam, quæ limbum facit, quantum fieri poteſt, ano indere, & intus implicitum in longitudinem linimentum (quod λημνίσκον Græci vocant) in unguento pus movente tinctum demittere, ſupraque ſuccidam lanam aceto madentem deligare, altero die ſolvere, niſi dejiciundi neceſſitas urgeat, & vulnus ſicut alia vulnera curare; cumque jam ad ſanitatem tendit, plumbeam fiſtulam, medicamento cicatricem inducente, illinire, eamque intus dare; ſupraque idem medicamentum injicere donec ad cicatricem plaga perveniat, ne per malam curationem ora ſaneſcendo jungantur. Interdum autem limbus, non niſi diebus aliquot interpoſitis, reduci poteſt. Capitula vero, quæ non introcedunt, ubi liveſcere incipiunt, mox cum limbo præcidi debent, quoniam ab ano adſtricta facile cancer ſequitur. (*a*)

Solet etiam oriri inflammatio, maxime ubi dura alvus eum locum læſit, aut equitatio anteceſſit & ſanguinis nihil ex oribus venarum effuſum eſt. (*b*) In hac cum dolore & febre frequens ſed inanis deſidendi cupiditas eſt, atque anus videtur proci-

(*a*) vid Le Dran. trait. des operat. de chirurg. chap des hemorrhoid. Hipp. l de hæmorrh Charter. t. 12 p. 47 de victu acut. Ed. Mack. t 2, 134 Paulus l. 3. c 60. l 6 c. 79. act. retrab. 4. ſerm. 2 c 5. Celſ. l. 6. c. 18. l. 7. c. 30.
(*b*) Lomm, med. obſ. l. 2. p. 176.

cidere (*a*) hicque interdum tam arcte clauſus eſt, ut neque vel tenuem acum poſſis adigere, & ſpiritui exitum præcludat (*b*); interdum etiam urina difficulter redditur (*c*) ejusque exitus clauditur quia ambo inter ſe copulantur anus & veſica; quorum uno affecto & alterum afficiatur neceſſe eſt. (*d*) Hic autem morbus, quem, ob effectuum ſimilitudinem, plerique pro hæmorrhoidibus cœcis habent, ſolvitur dejectionibus ſubcruentis, ſicuti ſputa flava, ubi quid cruoris mixtum eſt, pulmones liberant, unde Hippocrates ſcripſit: Quum teneſmus prehenderit, ſanguis & mucus ſecedunt (*e*). Ergo in hoc caſu ſanguinis detractione fervorem lenire, ſæpe utile eſt; tum in aqua dulci deſidendum eſt, & ſi fiſtulam admittat anus, alvus lotione ducenda (*f*).

Si quando autem ex inflammatione pus in his oritur, ubi primum id apparuit, incidendum eſt, ne anus ipſe ſuppuret: neque tamen ante properandum eſt, nam ſi crudum inciſum eſt, inflammationi multum accedit, & puris aliquanto amplius concitatur. Sed ſi diutius relinquitur, plerumque tenuia latera inteſtini magis quam denſum cutim penetrando, ſinuoſum ulcus facit; ex quo ſanies ante primam alvum exit, vel, ſi media dejectione

(*a*) Hipp. de fiſtul. Charter. t. 12. p. 143. Fernel. pathol. l. 6. c. 11. (*b*) Aretæus de cauſ. morb. acut. l. 2. c. 6. (*c*) Hipp. ib. & aph. 5. 58. Aretæus de cauſ. morb. diut. l. 2. c. 4. (*d*) Aretæus ib. Galen. comm. in aphor. cit. t. 9. p. 231 (*e*) de affect. c. 7. Ed. Mack. t. 1. p. 312. (*f*) Hipp. ib. Le Dran. l. c. p. 232. 235.

ne fertur, excrementis tamen non miſta, quod aliter in ſuperiorum partium abſceſſibus evenit. Nonnunquam id malum veſicam perforat, tum mictu-ro ſpiritus per naturalia æque ac ano emittitur: & pars fæcum puriſque cum urina effluit. (*a*)

Aliquando ex inflammatione quadam tubercula naſci ſolent, quæ κονδυλώματα appellantur; & modo, orta exulceratione, perpetuum ſtillicidium & pruritum in ano excitant, modo in verum carcinoma tranſeunt (*b*) Ea, ubi induruerunt, hac ratione curantur. Alvus ante omnia ducitur. Tum volſella tuberculum apprehenſum, juxta radices, exciditur. Quod ubi factum eſt, eadem ſequuntur, quæ ſupra poſt curationem adhibenda eſſe propoſui: tantummodo ſi quid increſcit, medicamento adurente coercendum eſt.

In omnibus autem ani vitiis toedii plenis, neque acribus cibis utendum, neque craſſis, neque alvum comprimentibus: ne aridum quidem quicquam ſatis utile eſt, niſi admodum paululum. Solet enim oriri inflammatio, ubi dura alvus eum locum læſit. Liquida, lenia, pinguia, glutinoſa, meliora ſunt.

Quandoque in malo corporis habitu ora venarum vitioſum ſanguinem fundunt: idque vitium manu non curatur; miſſio ſanguinis adeo non prodeſt, ut etiam noceat: ſed medicamentorum auxilia de-

ſide-

(*a*) Fernel. pathol. l. 6. c. 11. Lomm. ib. J. R. Lavaterus diſſ. de Atritæis & hypoſpad. p. 16. (*b*) Fernel. l. c. le Dran. l. c.

ſiderat, atque inter hæc idonea habentur, quæ ſanguinem cogunt atque inſpiſſant. (*a*)

# CAPUT XI.

*De varii generis calculis alvo redditis.*

## §. I.

Nonnunquam calculi quoque alvo redduntur: hique modo in inteſtinis, modo in hepate creſcunt. Galenus quoſdam torminibus, & vehementi deſidendi cupiditate, lapides, ſimiles iis, qui in veſica naſcuntur, ano excreviſſe, memoriæ traditum refert: eos tamen nunquam ſe vidiſſe, neque quenquam, qui viderat, cognoviſſe fatetur. (*b*) Quamvis Paulus ipſum eos vidiſſe, dicat (*c*) At Fernelius ſæpe calculos cellulis inteſtini coeci, aut coli innatos ſine dolore deſcendiſſe, teſtatur, qui nucis juglandis, & in quodam caſtaneæ magnitudinem implebant. (*d*) Ruiſchius plures, veluti majorum acicularum capita, in tunicis coli diſperſos, oſtendit, easque glandulas eſſe, quæ induruerunt, exiſtimavit, cum ſæpe in inteſtinis equorum, acervi pars ſana, pars in lapides concreta, reperiatur. (*e*) Fibras etiam veſicæ undique arenulis ob-

(*a*) Huxham eſſ. of fevers c. 5. J. Lind. treat. of the Scurvy p. 163. (*b*) l. 6. de loc. aff. c. 11. t. 7. p. 506. (*c*) l. 9. c. 41. (*d*) pathol. l. 6. c. 9. p. 395. (*e*) Catal. rarior. p. 35. 36. 74.

obſitas vidit. (*a*) Verum cuivis quoque corpuſculo, calculoſa materies increſcere conſuevit. Ruiſchius medium calculum, quem equus alvo reddiderat, e grano avenæ conſtare, deprehendit, ſicut lapidi Bezoardico fruſtum ligneum, aut ſimile quid ineſt. (*b*) Et oſſiculum ceraſi, quod diu faucibus inhæſerat, ſenſim tartareo quaſi involucro, obductum fuit. (*c*) Alii æque, ac globulo ſuccini, eadem materies, in naribus, accrevit (*d*)

Itaque, ſi oſſa fructuum devorata ſunt, aut medicamenta, quæ ex multa terra conſtant, copioſe aſſumta, mirum non eſt, calculos in ſtomacho, & inteſtinis naſci, quorum in corpore multum diſcrimen eſt, atque varia inde, & ſæpe latentia genera morborum oriri. Sic, ventriculo inciſo, lapides circa ſeptum, gravitatis ſenſum. vomitus, necemque attuliſſe, detectum fuit. (*e*) Et mulier, diu torminibus excruciata, primo globum concretum, dein plurima oſſa prunorum, quæ jam ante annum deglutierat, ano excrevit. (*f*) Alia, ubi medicamentum ſumſerat, lapidem extus fuſcum, intus pellucidum, cum fæcibus, reddidit. (*g*) Puellæ etiam, ſex annis ventris dolore afflictæ, oſſiculum pruni, cruſta calculoſa, inductum (*h*) & incipiente pube, virgini, quam renum & coli dolores

(*a*) Theſ. 3. p. 6. (*b*) Theſ. 2. p. 39. tab. 2. fig. 4. 5. 6. Haller. opuſc. pathol. obſ. 33. (*c*) Thom. Bartholin. hiſt. an. c. 4. hiſt. 85. (*d*) Ruyſch. obſ. an. 44. (*e*) Phil. tranſ. no. 459. (*f*) Ib. no. 304. (*g*) Barthol. act. Haſn. vol. 1. obſ. 100. vid. Ambr. Pare liv. 25. chap. 15. Ben. Silvat. cent. 3. conſ. 7. Rhod. cent. 2. obſ. 74. Salius in Altom. d. 497. (*h*) v. Swieten. comm. t. 3. p. 193.

lores vexare putabant, ter calculus alvo exceſſit, colore, duritie & magnitudine varius. (*a*) Viro quoque, cui quindecim menſibus alvus liquida fuerat, ingens lapis, ex inteſtinis erupit: (*b*) binoſque alter, quorum unus novem unciarum pondus habebat, emiſit, tertio, poſt ſeptem annos interpoſitos, cum is ob magnitudinem reddi non potuerat, occiſus. (*c*) Alter dolore & deſidendi cupiditate preſſus, intra 14 dies, unum digito, alium hamulo ſibi ano extraxit. (*d*) Mulier vero quædam, poſtquam ter maturos partus ediderat quorum calvariis ſpinoſe ſinuatis dimidium aurantii pomum excipi potuit, cum durum ſtercus mire figuratum difficulter, ac cruenta ſanies ſubinde alvo & vulva redderetur, tandem torminibus extenuata, aſperum quoddam corpus, circa anum, in inteſtino, hærere ſentiit: &, ubi, eo dilatato, medicus ſpinoſum & ſaxeum calculum, cujus orbis ultra decem pollices, pondus octo uncias cum ſemiſſe implebat, manu eduxerat, brevi, vulneribus curatis, integre convaluit, niſi quod aures obtuſæ manerent, & aliquot digiti manuum, pedumque contracti. (*e*)

## §. II.

Non raro autem, ubi diutius vexat regius morbus, plurimi calculi, ipſi aut hordei magnitudine ex

(*a*) Phil. tranſ. No. 291. (*b*) Ballon. paradigm. T. 3. p. 419. (*c*) Phil. tranſ. No. 304 (*d*) Ib. No. 170. (*e*) Ib. No. 458.

ex hepate proveniunt. (*a*) Si quis intus bilis itineri ſe oppoſuit, ea parte vehementes dolores excitat, totum corpus intenſe flaveſcit, comprimitur venter, acceditque nauſea, & inanis vomendi cupiditas. Quod ſi calculi excidunt, omnia mala ſubito & ex toto remittunt, ſenſimque color ſanus redit in cute. Senex, qui ex præcordiorum dextri lateris longo dolore, in ſpiritus difficultatem, & aquam inter cutim, inciderat, cum valentiori medicamento, plures lapides, easque nigricantes & leves, dejeciſſet, repente ſanatus fuit. (*b*) Et interdum, quæ vomitus cauſa ſumuntur morbo arquato vexatis, fellis calculos ano excutiunt (*c*) Fæmina etiam mediæ ætatis, graviſſimo dolore, circa præcordia, & quovis genere malorum, ultra menſem implicita, ubi alvus variis medicamentis ducta fuerat, cum tormenta, e fellis veſicula, juxta lineam albam procederent, parva quædam corpuſcula, veluti lapillos piſiformes, dejectionibus bilioſis, reddidit; & modo plura, modo pauciora, proximis diebus, excrevit: rurſusque, poſt tres ſeptimanas, ſimili dolore correpta, triangularem calculum, fabæ magnitudine, eodem auxilio, dejecit: eoque bonam valetudinem recuperavit. (*d*) Ruiſchius quoque Judæam, ſumta purgatione, ob dolentem ſtomachum, magnum lapidem alvo expuliſſe, narrat. (*e*) Pluresque repræſentat, e bilis

(*a*) Fernel. Pathol. l. 6. c. 5. p. 386 (*b*) Hoffmann. med. rat. t. 3. ſ. 1. c. 7. p. 164. ib. t. 4. part. 2. p. 268. (*c*) Id. conſil. med. t. 2. caſ. 57. (*d*) Med. eſſ. Edinb. vol. 2. a. 29. (*e*) Theſ. an. 2. p. 39.

lis veſica propulſos, leves, & aquæ innatantes. (*a*)

Plerumque tamen calculoſa materies, fiſtulæ modo, intus cava, vias, quibus bilis fertur, occupat. Gliſſonius, ubi ineunte vere, hujusmodi longos tubulos, calculis ſimiles, ſed figura diverſos, & ramulis bilioſis implicitos, ac ſi coralli eſſent, boum jecinoribus adeo firmiter increviſſe reperierat, ut absque ruptura vix evelli potuerint; eosque, quamprimum a ſtabulis ad prata ducitur animal, raro occurrere; hominibus etiam, qui fragmina lapidum alvo emittunt, ſimile quid in hepate naſci, putavit (*b*). Atque ſexagenaria, cum, verno tempore, ſucco graminis, & ſero lactis poto, circa æſtatem, hauſtis aquis Spadanis, & ſub hyemem aſſumpto ſapone Veneto, & melle, fœtidam materiem argillæ ſimilem, arenulis aſperis undique reſperſam, ex toto eluiſſet, intra biennium, a longo morbo arquato, convaluit (*c*). Similiterque pauperculus ab eo liberatus fuit, multum, & diu bibendo aquam in qua ſolum gramen coctum erat. Et hac medendi via talis ægritudo ſubinde curatur, fæcesque calculis, vel arenulis plenæ deſcendunt (*d*). Ubi vero mala urgent, maxime prodeſſe videtur plurima aqua cum hordeo decocta: nam facilem vomitum excitat, & diutius ferendum, quo nonnunquam fit, ut tenax materies diſcutiatur. Prodeſt etiam, molli lo-

(*a*) Theſ. 5. p. 8. No. 32. (*b*) Anatom. hep. c. 7. p. 81. 82. Haller. opusc. pathol. obſ. 33. hiſt. 10. (*c*) Van Swieten. comm. T. 3. p 130 (*d*) Ib. p. 137.

lotione alvum ducere. Si a vomitu anxietas, aut dolor intolerabilis oritur, papavere utendum eſt, ut pars adſtricta reſolvatur, & lapides commodius exeant (*a*).

Calculi autem e fellis veſicula expulſi proprias quasdam notas habent, quibus ab aliis dignoſcuntur: nam nigri ſunt, & leves, atque aquæ innatant, cum, qui e renibus, aut veſica evelluntur, in imum ſubſidant (*b*). quidam tamen fundum petunt (*c*); at hi in aquam conjecti, primo ad ſummum redeunt, dein, emiſſis bullis, deſcendunt. Contra, qui in urina nascuntur, non emergunt, ſed recta deorſum feruntur (*d*); eorum etiam, qui, dum integri ſunt, & firmo cortice tuti, aquam non imbibunt, quamvis pluribus diebus in vaſe relinquantur, fragmenta disrupta primum aquæ ſupernatant, dein quædam citius, quædam ſerius, ad fundum cadunt; indeque exemta & in minores partes diffracta, intus humida apparent (*e*). Molles calculi, etiam magni, ultra dimidiam partem, calida ſolvi poſſunt (*f*). Atque tales, plusquam nonaginta in mulieris veſicula bilioſa reperti, ex toto diffluxerunt (*g*); duriores tamen, coctione in aquam, non liquantur (*h*).

Quos-

(*a*) Ib. p. 136. (*b*) Fernel. pathol. l. 6. c. 5. p. 386. Holler. l. 1. de morb. int. c. 48. p. 379. Bidlo vindic. p. 28. Barthol. ep. med. cent. 3. ep. 86. miscell. n. c. d. 3. a. 9 & 10. obſ. 171. Morgagn. adv. anat. 3. anim. 28. Ruyſch. theſ. an. 5. No. 32. theſ. 9. No. 80. (*c*) Morgagn. ep. an. 1. § 45. 46. p. 49. 50. 51. Hoffman. med. rat. T. 4. part. 2. p. 261. (*d*) Morgagn. l. c. Hoffman. l. c. (*e*) Id. ib. Id. ib. (*f*) Hoffman. l. c. p. 262. (*g*) Borrich. Barthol. epiſt. cent. 3. Ep. 85. (*h*) Hoffman. l. c.

Quosdam vero igne in totum, quosdam pro parte conſumi, Morgagni primus ſe experimentis inveniſſe gloriatur. Unus ex centum & viginti, quos ex mortuo corpore mulieris extraxerat, lucernae admotus, primum turgere, & ebullire, ſed nihil ingratum fœtere coepit: dein flammam concipere, atque ſervare, & ſubinde, inter ardendum, cum levi crepitu, ſcintillas emittere; tandem ad extremum usque, flammam ita aluit, ut nulla cera magis, qua literae ſignantur, id facere poſſit. In reliquis flammae expoſitis, etiam poſt duodecim annos, idem accidit. Et qui ex ſeptuaginta duobus, quos in alio, ante tres menſes, invenerat, incenſi fuerunt, flammam æque, poſt viginti annos, ac recentes, ſervaverunt. Poſtea autem comperit, calculos ex alia veſicula exemtos, leviter quidem crepitare, ſed non flammam tenere, & capillos combuſtos olere: eos, inter ſubjectos digitos, facile quoque in fruſta dilabi, & extrinſecus atro colore, veluti carbones, obductos eſſe, conſpexit; primi autem magis duri, ſubvirides, & ex varia ſerie flava compoſiti erant. Atque ab eo tempore, ſemper calculos, quos frequentes in bilis receptaculo invenit, flammam flaveſcentes, aut ſubvirides ſervare, animadvertit: ſed nigris ſimiles eam minus alere (*a*). Unde fortaſſe Bidlo bilis calculos, cujuscunque ſint coloris, figurae, aut magnitudinis, igne comburi, nimis præcipitanter, unico experimento, collegit (*b*). Nam & Hofmannus fuscos om-

(*a*) Epiſt. an. 1. § 49. adv. anat. 3. animadv. 27. (*b*) Vindic. p. 28.

omnes, ac in reſinam pellucidam quaſi concretos, flammam tenere, fereque abſumi, & albos, ac cinereos, qui gypſi aut cretæ ſimiles ſunt, levem tantummodo lucem capere, atque cerae inſtar in lamina ferrea ignita diffluere, expertus eſt (*a*).

Vix autem diſtingui poteſt num ex viis biliofis aut ex fellis veſcula, calculi proveniant. Sæpe bobus quidem & ovibus, bilis itinera ejusmodi lapides infeſtant (*b*). verum hi, in homine, raro reperiri conſuerunt (*c*); & qui experimentis ſubjecti ſunt eadem, quæ de calculis nigris modo dixi, ſpectanda dederunt (*d*); neque ſemper eos veſiculis inhærere, manifeſtum eſt (*e*): Morgagni ex illis, quos in mortuorum corporibus reperit, pluresque alii, vivos quid detrimenti accepiſſe, vel colorem cutis mutatum fuiſſe, vix percepeperunt: ſed quos morbus arquatus diutius vexat, his lapides in culpa eſſe, ſuſpicari licet (*f*).

(*a*) L. c. p. 262. (*b*) Ruyſch. obſ. an. 24. poſt. dilucid. valvul. Gliſſon. anat. hepat. c. 7. (*c*) Hoffman. l. c. p. 261. (*d*) Morgagn. epiſt. an. 1. § 43. 49. (*e*) Adv. an. 3. animadv. 28. epiſt. an. 1. § 50. Haller opusc. pathol. obſ. 33. p. 72. 76. vid. Bartholin. act. Hafn. vol. 5. obſ. 65. hiſt. an. cent. 4. hiſt. 49. miscell. n. c. d. 1. a. 2. obſ. 89. a. 4 et 5. obſ. 99. dec. 2. a. 7. obſ. 136. obſ. 244. d. 3. a. 9 et 10. obſ. 246. academ. de chirurg. T. 1. commerc. litterar. a. 1738. p. 137. (*f*) Fernel. pathol. L 6. c. 5. p. 386.

C A-

# CAPUT XII.

## *De Hydatidibus.*

Deſiderant etiam propriam animadverſionem veſiculæ, quas integris membranis humor diſtendit, & quæ in omni morbo longo partes quaſcunque occupant, maximeque viſcera; (*a*) ὑδάτιδες nominari conſuerunt. Hos vero, vel a male aſfectis finibus vaſorum ſanguineorum, fieri (*b*); vel in membrana celluloſa, quæ circa venas & arterias eſt, ubi hac gravatæ occalluerunt, increſcere, exiſtumant. (*c*) Nonnumquam omne jecur ita vitioſe mutatur, ut in quodam, qui ex aqua inter cutim conſumtus erat, magna vaſa ne quidem dignoſci potuerint: ipſaque arteria hepatica, quæ ſatis capax eſt, cum quinque majoribus ramis venae portarum, & tribus cavæ venæ in veſiculas converſa fuerint, quibus humor gelatinæ ſimilis increverat (*d*). Nonnunquam talis acervus, vel naſo, vel ſtomacho, vel inteſtinis innaſcitur, aut utero, aut veſicæ inhæret (*e*): ipſumque cerebrum preſſit folliculus, cui humor ſuberat

(*a*) Ruyſch. adv. anat. dec. 1. adv. 2. p. 7. (*b*) id. ib. vid. B. S. Albin. acad. annotat. l. 1. p. 69. (*c*) Ruyſch. adv. an. 6. No. 104. vid. et Schreiber. in vita Ruyſchii p. 61 et Grashuys de hydatid. natura § 10 et ſeq. (*d*) Ruiſch. theſ. an. 1. p. 23. (*e*) Bidlo exerc. anat. de hydat. p. 18. 19. P. Borell. cent. 1. obſ. 38. vid. Stalp. v. der Wiel cent. 2. obſ. 14.

rat (*a*). Veſiculæ quoque puſillæ, crebræ, humoris plenæ, in loco, ubi 'ασκίτης fieri ſolet, excitantur (*b*).

Sæpe evenit, ut, tumore rupto, ſive id ſponte, ſive medicamentis, vel manu fit, varii latices e corpore profluant; ſiquidem humor, qui intus eſt, cum vicinarum partium liquore commiſcetur, unde medentes, nullis diſcriminibus ſatis cognitis, hunc, ſub vano nomine habent (*c*). Chirurgus, cum cuidam in pectus aquam contractam eſſe, ſibi imaginaretur, loco thoracis, præcordiorum dextra parte inciſa, multas veſiculas ſubinde erumpere, animo trepidus vidit: fruſtraque, turunda immiſſa, Ruiſchii auxilium imploravit: verum is, in mortuo corpore, viſcera pectoris integra eſſe, nullumque inſolitum liquorem habere, conſpexit: hepar autem membranæ, quæ περιτοναῖος nominatur, accretum, maxima parte ex veſiculis conſtare; easque facile emitti potuiſſe, quoniam locus, inter membranam inteſtinis communem, & propriam hepatis, folliculis aqueis plenus erat (*d*). Similes mulier ex abſceſſu, ſub dextris præcordiis, emiſit: in qua ſiniſtra quoque pars vehementer intumuerat, & a morte, lien, plurimas veſiculas humore repletas, eorumque membranulas disruptas, continere repertus fuit (*e*).

Sunt, qui perhibent, ejusmodi ampullas inteſtina tranſiiſſe, (*f*) & ſi in corpore franguntur, gluten

(*a*) Lanciſ. de ſubit. mort. l. 1. c. 11. § 13. (*b*) Aretæus l. 2 de cauſ. morb. d c. 1. (*c*) Bidlo l. c. p. 19. (*d*) Obſ. an. 65. p. 61. (*e*) Phil. tranſ. N°. 460. (*f*) Aretæus l. c.

ten album, inſtar albuminis ovorum, interdum ad libras, ano expelli, intermixtis membranis (*a*). Fæmina mediae ætatis, teneræ conſtitutionis, & mali habitus, variis affectibus, ex dextra parte præcordiorum ortis, & regio quoque morbo, diu implicita, multas veſiculas, ſubinde aciculæ capiti, ſubinde gallinæ ovo magnitudine ſimiles, & humore, modo albo, modo flavo, gelatinæ inſtar, plenas, pluribus diebus, alvo liquida & fœtida, ſed ſine tormentis dejecit; tumque ſanitatem recepit (*b*). Verum gracilis ſacerdos, ejusdem fere ætatis, per ſex annos, jocinoris morbo conflictatus, ubi febris acceſſit, ſub dextris præcordiis majores dolores ſentiit, cum nervorum quaſi diſtentionibus, ac ſi mors eſſet in propinquo: & materiem modo flavam, modo viridem alvo emiſit; nonnunquam tetram, &, ad quod maxime attendendum eſt, a vigeſimo die ante obitum, veſiculas numero plusquam ducentas, mole disſimiles: quarum album aliæ, aliæ flavum, mixti aliæ coloris humorem continebant. Semper autem urinam croceam, in hoc morbo, reddidit: mortui vero viscera omnia ſana fuerunt, præter hepar: quod, dum Valſalva a dextris, qua valide nexum erat ſepto transverſo, ſeparare nititur, copiam ſeri cum quibusdam veſiculis dimiſit, &, ubi cum annexo duodeno eximitur, tertia fere parte ſuppuratum, reliqua integrum eſſe: atque, in eo abſceſſu, plures veſiculas ſero ob-

(*a*) Bidlo l. c. p. 19 vid. & Stalp. v. der Wiel cent. 1. obſ. 28. in ſchol. (*b*) Phil. trans. No. 295.

obſcuri coloris innatare; aliasque minores corpori hepatis, alias valide ipſis lateribus vomicæ, quasdam etiam laxius, inhærere, deprehenſum fuit. Oſtium quoque, in quod quaſi in pelvim ſe expanderat bilis iter, reliqua parte ita dilatatum, ut digitum facile admitteret, & ſpatia excavata, e quibus veſiculæ antea exciderant, conſpici potuerunt. Veſicularum autem maximæ decorticatum gallinæ ovum, mediæ columbinum, parvæ ciceris granum, magnitudine referre, omnesque ex triplici membrana, qua nullæ viæ, nullaque ſanguinis vaſa erant, conſtare viſæ ſunt (*a*). At, in cadavere virginis, triginta circiter annorum, cui, ex morbo arquato, aqua intus in ventrem contracta erat, hepar ſubflavum, & magna parte exſiccatum, ſed veſiculam fellis in magnum & tenerum ſaccum expanſam, pluribusque folliculis, & materie partim ſpiſſa, partim aquæ ſimili, vel bilioſa, qualia ægræ alvo effluxerant, tumidam; viam quoque in ſummum inteſtinum ita patulam, ut digitum minimum caperet, invenerunt (*b*).

## CAPUT. XIII.

### *De alienigenis.*

Non tam facile his fidere eſt, qui ſe alienigena quævis, ſilices, oſſa, animalia, dejeciſſe con-

(*a*) Morgagn. epiſt. anat. 3. p. 10 & ſeq. (*b*) Acad. R. S. 1701. vid. v. Swieten comm. T. 3. p. 129.

contendunt. Primum, quia protinus ea, quæ prima fronte apparent, nimis creduli obſtupeſcunt. Deinde, quia fraus ſæpe ſubeſſe poteſt. Quidam enim adeo pravæ indolis ſunt, ut, ob quæſtum, vel ob aliorum ſtuporem, quaslibet impoſturas ament. Et nonnunquam ſimultas quoque ſubeſt. Sæpe vero ejusmodi incantamenta, ſi curioſe examinantur, ſubito tolli poſſunt. Leidæ tenellus puer acus & aciculas ſubinde cacavit: eas quoque, a matre in ſedili pertuſo depoſitus excrevit, præſentibus Prætore, & Scabinis. Et ruſtica anus, de fascino accuſata, in vinculis conjecta fuit. Sed, infans, juſſu magiſtratus a matre ſemotus & ſeorſim in cuna cuſtoditus, nihil ejusmodi amplius reddidit. Proinde matrem, quæ minis increpata, fallaciam ſuam, & odium in vetulam, fateri cogebatur, virgis publice cæſam, urbe ejecerunt. Ultrajecti etiam parentes puerum, oſſicula, ungues equinos, fragmenta pannoum laneorum, conglomeratos capillos muliebres, ſimiliaque quamplurima ano emiſiſſe, dixerunt: mulieremque faſcinationis crimine ream eſſe. At, puero, quatuordicim diebus in curia detento, fraus erupit, nec hujusmodi quidquam prodiit; parentesque clanculum flagellis caſtigati fuerunt (*a*). Ab aliis lateres coĉti, & calculi ſaxei miraculi ad inſtar, dicebantur emiſſi: neque ii ab amicorum conſortio coërciti, fraudem ce-

(*a*) Diemerbroek. vid. obſ. 1. poſt Sculteti armam. chirurg. p. 571.

celare valuerunt (*a*). Credendum utique muliercolis non eſt, aut quos atra bilis vexat, cum, ut mira de ſe narrentur, ſæpe quasvis fallacias machinari ſoleant: maximeque cavere oportet, ne in proferendo judicio, per vafras fœminarum technas decepti, exiſtimationis detrimentum patiamur. Virgo, per ſesquiannum, lumbricos terreſtres, erucas, lacertas vivas, & mortuas, aſcaridas, ranarum coxas, pluraque prodigioſa, alvo excreta, ſimulavit tanta dexteriate, ut non ſolum domeſticos, ac medicos, Sturmium & Vallenſem illuderet; ſed & medentium celebriores, qui e vicinis urbibus, ob caſus raritatem, Delphos confluxerant, nullam fraudis ſpeciem, quamvis omnia oculis, exactoque judicio, examinarent, detegentes. Ideoque fabula hæc pro vera hiſtoria habita fuit, donec callida muliercula, ſub agone mortis, confiteretur, ſe omnia iſta portentoſa, ſubtili artificio, finxiſſe, non alio fine, cum ipſa dives eſſet, quam quod ejus nomen, non modo in patria, ſed & per univerſum orbem, celebraretur (*b*). Etiam mendici, ut aliena miſericordia vivant, cutim exulcerarè conſuerunt, ranunculo bulboſo (*c*). Suntque in terris homines, qui, quod non eſt, corpori vitium conciliant. Cœnobii ancilla, cum operas diurnas non ſuſtineret, morbum mentita, medicamentum ex calce viva, & ſapone conflatum, quo fonticulos ex-

(*a*) Ib. vid. Bartholin. epiſt. med. cent. 3. ep. 60. Harder apiar. obſ. 80. Lamzweerd. molar. uter. hiſtor. p. 276.
(*b*) Lamzweerd. ib. p. 275. 276. (*c*) Casp. Hofman. de medic. officin. l. 2. c. 192. p. 550.

excitari noverat, variis mammæ locis impoſuit; itaque eam, veluti cancro correptam, chirurgus curare incepit: ſed, cruſtis dilapſis, novas renaſci, miratus fuit. Neque ab eo malo maligna hæc fœmina fuiſſet liberata, niſi forte ex adurente medicamine, quod per imprudentiam ulceri adhæſerat, in vaframeinti ſuſpicionem incidiſſet. Interdum etiam hi, quos turpis egeſtas urget, ut victum in valetudinariis emendicent, tibias hinc inde erodunt (*a*). Atque Galenus jam libellum conſcripſit, in quo, quibus modis ficti morbi dignoſcantur, edocet (*b*). Bekkerus quoque in eo volumine, quod mundum faſcinatum vocavit, magnam partem in hoc conſumpſit (*c*).

Illud tamen non ſine ratione a Salio dictum video, dubitari poſſe; an non interdum a cauſa naturali intus generentur corpora, qualia nonnunquam, veluti oſſa, carbones, pila, ungues, teſtas & ſimilia, viri arte inſignes, in abſceſſibus externis, ſe repperiſſe, dixerunt (*d*).

(*a*) Severin. chyrurg. effic. part. 2. c. 139 p. 133. de ſimilibus impoſturis vid. A. Pare l. 25. des monſtr. c. 20. 21. 22. 23. 24 (*b*) Charter. T. 8. p 916. (*c*) l. 4. (*d*) Annotat. in Altomar. p. 492. vid. Galen. l. 14 method. med. c. 12. Chart. t. 10 p. 331. Celſ. l. 7 c. 6. p 420. Paré l. 7. ch. 4. 20. Severin. de abſceſſ. anomal. c. 6 p. 104. c. 16. p. 114. Meiboom de abſceſſ p. 8 Harder exerc. anat. med. 11. p. 53. Saviard obſ. 95. Ruych. adv. an. 3. p. 1. 2. 3. 4. obſ. 18. theſ. 3. No. 63. theſ. 6. p. 19.

# CAPUT XIV.

*Quando venter fuſus febricitantibus conveniat.*

## §. I.

Hactenus reperiuntur ea genera profluviorum ventris, quæ ſine febribus ita ſunt, ut iis certa tempora aſſignari non poſſint. His propoſitis, primum dicam, quando venter fuſus febricitantibus conveniat, tum ad ſingulas febrium ſpecies tranſibo, pauca de judicatione præfatus.

Acuti morbi, niſi error accedat, per certa ſpatia increſcunt, conſiſtunt, atque minnuuntur: κρίνεσθαι dicuntur, cum ſubito, quovis modo, permutantur (*a*). Vehemens quædam perturbatio, quæ hanc mutationem præcedere ſolet, etiam quibusdam κρίσις dicitur (*b*). Sola autem ſubita ad ſanitatem converſio, quoniam omnium, quæ in morbis contingunt, mutationum optima eſt, atque natura, quæ præter eam ſunt, ſuperante exquiſite perficitur, Galeno, & omnibus, qui ante eum ſcripſerunt, ſimpliciter & per excellentiam κρίσις appellatur (*c*) & quidem omnino fit, per manifeſtas

(*a*) Hipp. de affect. ed. Mack. T. 2. p. 304. Galen. de criſ. l. 1. c. 1. T. 8. p. 377. (*b*) Galen. ib. de dieb. decret. l. 1. c. 9. T. 8. p. 464. (*c*) Id. de criſ. l 3. c. 1. 2. T. 8. p. 428. 429 ib. c. 8. p. 438. confer. Hipp. de judicat. c 1. ed Mack. T. 1. p 90. epid. l. 1. Charter T. 9. p. 74. Coac. 150. de victu acutor. ed. Mack. T. 2. p. 130. aph. 1. 20.

feſtas quasdam excretiones, aut effatu dignos abſceſſus; quicunque enim aliter quieverunt, malignius recurrunt. Antecedit autem hujusmodi excretiones, & abſceſſus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis, quæ decretoria dicitur (*a*) hinc ſubito profuſus erumpit ſudor, aut ſanguis ubertim e naribus fertur, aut vomitus multi humoris incidit, aut alvus multum ſolvitur, aut hæc omnia ſimul contingunt; poſt quæ, ſiquidem bona futura judicatio eſt, febris incipit tota conquieſcere (*b*). Sin vero morbus remittat quidem, nec tamen finiatur, imperfecta dicitur judicatio (*c*) & morbus, qui remanet, iterum levi de cauſa exaſperatur (*d*), niſi reliquias, quibus inhæret, admotum aliquod auxilium diſcutiat. Neque medici primum id nomen invenerunt, ſed idiotæ, qui conſpicientes vehementem in corpore ægrotantis perturbationem, quam mox inſequitur copioſa excretio, perterriti atque conturbati, pronunciarunt, quod, ut in foro, judicium tunc de vita ægrotantis haberetur, & κρίσιν rem ipſam nominarunt (*e*). Sed ſcire licet, ubi ſine magna perturbatione, & lentis gradibus, repetitisque evacuationibus, ægri febribus abſolvuntur, hos quoque judicatos in hiſtoriis ægrotorum pronunciare Hippocratem (*f*); Galenus autem ſubitas tantum morborum cum perturtur-

(*a*) Hipp. aph. 1. 13. Galen. de criſ. l. 3. c. 2 T. 8. p. 429. de dieb. decretor. c. 1. T. 8 p. 451. (*b*) Id. de criſ l. 3. c. 2. T. 8. p. 429. (*c*) Galen. de criſ l. 3 c. 1. T. 8. p. 428. (*d*) Hipp. aph. 2. 12. (*e*) Galen. de criſ. l. 3. c. 2. T. 8. p. 429. de Dieb. decret. l. 1. c. 1. T. 8. p. 451. (*f*) L. 1 & 3. epidem.

turbatione permutationes proprie judicia appellari voluit (*a*); atque alibi ſubitam in morbo ad ſalutem aut mortem mutationem κρίσιν vocat (*b*), quæ mala ipſi audit, ſi ſubita morte decernat (*c*); quod ſi paulatim, neque ſtato tempore, finiatur morbus, hanc mutationem λύσιν ſimpliciter, non κρίσιν, nominari voluit (*d*). Contra ἀπόλυσις morbi etiam Hippocrati κρίσις dicitur. Quum autem judicia frequentiora, & eorum indicia firmiora certis diebus contingere viſerentur, hos, tanquam tunc de ægris judicaretur, κρισίμους nominabant antiqui (*e*); adeo ut Hippocrates, ſi alio die febris deſinat, recidivam timere ſit ſolitus (*f*); id Aſclepiades injuria ut vanum repudiavit (*g*); interdum quidem morbus non terminatur, ut aſſuevit, interdum in ipſo morbo dierum ratio mutatur, nonnunquam etiam nulla perturbatio futuram mutationem præmonſtrat (*h*); nonnunquam morbi initia dubia, ut dierum numerus diſtingui nequeat. Sed Hippocrates, qui boni medici merita in acutis morbis probari voluit (*i*), præmonuit, vix ulla perpetua præcepta medicinalem artem recipere (*k*), & in acutis morbis fallaces magis notas eſſe & ſalutis & mortis (*l*). Igi-

(*a*) De criſ. l. 1. c. 20. T. 8. p. 406 (*b*) Comm in Hipp. aph. 2. 13. (*c*) De criſ. l. 3. c. 1. T. 8. p. 428 (*d*) Id. ib. & l. 1. c 20. T. 8. p. 406 Hipp. præcept. c. 1. Mack. 1. p. 55 (*e*) Cæl. aurel. acut. morb. l. 1. c. 14. (*f*) Aph. 4. 61. coac. 145. de judicat. c. 5 ed. Mack. T. 1. p. 95. Galen. de dieb decretor. l. 1. c 1. T 8. p. 451. (*g*) Cæl. Aurel. l. c Celſ. l. 3. c. 4. (*h*) Hipp ep 1. T. 9. p. 95. N hell. obſ. de pulſ. p. 84. (*i*) De victu acutor. c. 1. ed. Mack T. 2. p. 97. (*k*) De loc. in hom. c. 15. ib. T. 2. p. 160. (*l*) Aph. 2. 29.

Igitur ignoſcendum etiam bono medico, quem in acutis morbis interdum conjectura fallit; neque tamen, ſi quid in quibusdam aliquem decipit, id fidem non habet, cum per plures homines reſpondeat. Veteres, maxime Hippocrates, propriis & aliorum experimentis edoctus, ex illis, quæ in febribus, arte non mutatis, ſponte & ſæpius reſponderant, probavit, ægris, per quosdam dies majus vel minus periculum eſſe (*a*), rerum magis eventis emonitus, quam ratione ductus. Sed poſt inventa hæc experimenta, cum ſubtilis medicinam ratio mutaret, homines de cauſis eorum diſſerere cœperunt, in detrimentum artis. Quæſita ratio, ſed non inventa; & ſi inventa idem doceat, quod experientia, ſupervacua eſſe videtur; hæc medico facundiam, ſed ſanitatem ægris medicina promittit. Agricolæ ſola experientia tempeſtatum mutationes præſagiunt. More Hippocratis febrium eventa magis quam horum cauſas quæri oportet, ut tandem, experimentorum copia, adhibita neceſſaria cautione, de judicationum modo & tempore conſtet. Eſt autem alia etiam de materie, quæ excerni ſolet, dubitatio. Corpus hominis ea lege conditum, ut, dum integrum ſuas actiones perficit, ſe ipſum deſtruat: docet inedia. Namque viribus circumductorum humorum tenerrima, quibus conſlamur, ſtamina deterun-

(*a*) Aph. 2. 23. 24. 4. 36. 61. Coac. 151. vid. G. Martine eſſ. on the periods ad criſes of diſeaſes. Glaſſ. comm. de febr. 3. p. 17.

runtur, ſimulque liquida immutantur, atque corrumpuntur. Igitur inutilem eam materiam, quæ, ſi immoratur, lædit, natura per cutim, veſicam, atque inteſtina excernit. Eſtque illa humorum noſtrorum, vel dum athletice valemus, indoles, ut, enata febre, per morbi efficaciam mutentur atque a priſtina & blanda ſua indole degenerent in materiem morboſam. Hæc raro digeritur (*a*) ſed plerumque natura eam definito tempore a reliquis ſanis ſeparat, colligit, atque ſub fine morbi, per ſudores, urinam, vel dejectiones excernit. Sæpe etiam judicatio omnibus hiſce vacuationibus, non ſemper unica perficitur. (*b*) Hæc autem materies in fine ægrimoniæ reperta damnoſo errore quibuſdam pro materie & prægreſſa mali jam devicti cauſa habetur, cujus merito effectus cenſendus erat: id enim, quod finis morbi, ut excrementum per judicationem abjicit, in principio mali erat naturale corpori, ſed vi ægritudinis corruptum jam degenerat: ſi itaque in initio extinctus eſſet morbus, critica materies vitæ amica perennaſſet. Metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, venas concitat, atque febrim excitare valet, quæ juxta genium ſpeciei, ad quam pertinet, diverſa ſua ſpatia percurrit, humoreſque commutat, materiemque morboſam debito ordine ac via tum ſecernit tum etiam expellit. Sed contagii, atque veneni vir-

(*a*) Galen. de criſ. l. 3. c. 2. t 8 p. 429 Fernel. meth. curand. febr. c. 9. p. 301. Freind. comm. de febr. 1. Martine ib. p. 8. (*b*) Hipp. l 1. Epid Charter. t. 9 p. 74. Galen. de Criſ. l. 3. c. 2 t. 8 p 429 Septal. de peſte p. 239. Gall. comm. 4. de febr. p. 32. Lomm. p. 43.

virtus in corpora ſalubria aſſerti veritatem evincit. Qui vim peſtiferam (quæ morbi ſemina infert) ſimulac recepta venis, arte correxit, vel expulit, omnem jam judicationem antecepit medicus. Contagium peſtis, licet ab omnibus hauriatur, non omnes homines peræque afficit, &, ubi corpori jam inſertum, non lædit ex ſua indole, ſed febrim ſingularem excitat, ſui ſemper genii tenacem, cujus effectu diſcrimina atque pericula oriuntur. Namque ſi protinus, ac receptum eſt, ſudoribus expellatur, homo integer manet (*a*). Antidota hic quidem maxime deſideranda ſunt, ſed, quæ eo nomine adhiberi ſolent, juvant, quatenus ſudores movent. (*b*) Hauſerit argentum vivum, cui a rodendo nomen, homo robuſtiſſimus. quid fit? Omnium pervertitur actionum ordo, candeſcit æger aeſtu, putreſcunt humores, atque corrupti colluvies per omnia corporis emiſſaria, qua data porta, ruit. Omnis hic impetus, poſt tot excreta ſilet. Non enim judicationem hanc otioſus præſtolatur medicus: ſed toxici aſſumti virus illico domans omnem liquorum corruptelam antevertit. Stibii quædam præparationes (*c*), licet ſenſibus detegi nequeant, aſſumtæ febrim, ſudores, vomitus atque dejectiones excitant; ſilent hæc omnia, ſi ſpiritu acido foſſili veneni virtus infringatur. (*d*)

Hip-

(*a*) Diemerbroeck de peſte l. 3. c. 5. 6 Sydenh p. 114. 127. 576. Glaſſ. comm. 10 de febr. p. 179. F. Hoffman, diſſ. de cauto vomitor uſ. obſ 7 (*b*) Sydenh. p. 113. 114. 120. 126. (*c*) F. Hoffman. diſſ. citat. obſ. 1. Pechlin. l. 2. obſ. 58. (*d*) Geoffroy. mat med. t. 1. p. 239.

Hippocrates febres ardentes proponit vulgares, per quas ex quatuor maxime ſignis ſervabantur ii, quibus ex naribus bene ſanguis profluxiſſet, aut urina multa, in qua quod deſidebat, copioſum & laudabile erat, per veſicam proceſſiſſet; quique aut per alvum turbulenta, bilioſa, tempeſtive demitterent, aut in difficultatem inteſtinorum delaberentur. Multiſque uſu venit, ut non ab uno ex deſcriptis ſignis judicarentur, ſed ut plurimi per omnia percurrerent, & gravius habere viderentur. Sed hi omnes, quibus iſta, contingerent, incolumes evaſerunt (*a*). Idem vero author harum febrium & aliam conſtitutionem deſcribit, in qua ex naribus paucus ſtillavit ſanguis, pleriſqûe alvus recrementis crudis, tenuibus, multis turbabatur, urinæ multæ, tenues, neque judicatorii neque boni quicquam habebant. Neque aliud quicquam in ita affectis decernebat: neque enim rite ſanguis e naribus profluebat, neque aliud quicquam eorum, quæ abſcedere nata ſunt, judicatione tentabatur, moriebaturque unuſquiſque, uti ſors ferebat, vago & incerto ordine, plerumque circa judicationes. (*b*) Atque hanc rem exemplis confirmat; namque quadraginta duas ægrotantium hiſtorias recenſet, quorum viginti quinque mortui ſunt (*c*); qui evaſerunt, omnes interveniente evacuatione judicati ſunt.

(*a*) Epid. l. 1. Charter. t. 9. p. 74. Cope demonſtr. med. pract. p. 32. (*b*) Epid. l. 3. Chart. t. 9. p. 271-275. Cope demonſt. med pract. p. 222. (*c*) l. Epid. 1. ſt. tert. ægr. 1. 2. 4 8. 9 11. 12. l. 3. ſect. 1. ægr. 2. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. ſect. 2. ægr. 1. 2. 3. 4. 5. 13. 14. 15. 16.

ſunt. (*a*) Anaxioni lateris dolor ſputis præcipue finiebatur (*b*); Pythioni circa ſedem facta ſuppuratio (*c*); reliqui, ſanguinis profuſione, urinis vel dejectionibus ſalvi evaſerunt. Adeo ut Hippocrates etiam, ſi die non decretorio, vel ſine ſolutionis ſignis febris deſiſſet, recidivam timere ſit ſolitus (*d*). Solam vero ſpontaneam ventris reſolutionem continuam febrem tuto ac perfecte judicare, Fernelius author eſt (*e*); quod una hæc putridam materiem, perfecta jam concoctione apparatam, prorſus excludere poſſit. Namque ſanguinis profuſiones, ſive e naribus, ſive ex utero, (idem effectus (*f*)) quæ febrim ardentem ſolvunt (*g*), febrim continuam putridam, in qua humores degenerant, terminare nequeunt, & ſi forte per febrim judicatio ſanguine e naribus fuſo cœperit, hanc mox effuſi ſudores complent, abſolvuntque (*h*), vel ſimul venter reſolvitur (*i*); haud raro etiam, ſanguis, quoad ſenſus diſtinguunt, integer effunditur. Tunc, quæ ſedare ſolent, cum poſtea apparent, ea, ſi prius fiant, ne ſuperveniant, impedimento ſunt (*k*). Namque iis malis venæ ſectio utilis eſſe conſuevit, quibus profluvium ſanguinis ſponte ſuperveniens prodeſt. Neque putridæ febris

(*a*) L. 1. ſt. tert. ægr. 3. 5. 6. 7. 10. 13. 14. l. 3. ægr. 1. 3. 5 ſect. 2. ægr. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. (*b*) l. 3. ſect. 2. ægr. 8. (*c*) l. 3. ſ. 1. ægr. 1. (*d*) Prognoſt. c. 15. Ed. Mack. t. 1. p. 77. (*e*) Meth. curand. febr. p. 298. (*f*) Hipp. Epid. 1. Chart. t. 9. p. 74. (*g*) Ib. p. 65. 66. 67. (*h*) Lommius obſ. p. 43. Hipp. Epid. l. 3. ſ. 2. ægr. 7. 11. 12. (*i*) Id. Epid. l. 1. Chart. 9. p. 66. 68. (*k*) Hipp. de humor. c. 8. Ed. Mack. t. 1. p. 89.

bris continuæ perfecta judicatio ſudore fieri poteſt. Lenis quidem febricula ſudore finitur, & acceſſiones febrium, quarum & certus circuitus, & finis integer, & liberaliter quieta tempora ſunt, cum decedunt, plerumque ſudorem movent; iſque juxta Hippocratem (*a*) decretorio die confert, & febris fervorem lenit, & impetum ſedat; non tamen poteſt craſſiorem eam materiem educere, quam ipſa febris procreavit; ſed liberationem per alias evacuationes inceptam & provectam ſæpiſſime perficit. (*b*) Ardentes atque bilioſas febres, ut plurimum tertio vel undecimo die liberali ſudatione plerumque cum alvi fluxu ad finem pervenire quadraginta annorum experientia edoctus notavit Hoffmannus (*c*). Corpus quoque quod æqualiter molle, quodque æqualiter totum inſudat, ſi morbus quavis alia excretione judicetur, ſecuritatem pollicetur; ita ut lenis ille mador, qui ſub fine morbi plerumque apparet, mali jam devicti potius ſignum haberi debeat, quo modo etiam ab Hippocrate proponi ſolet, qui etiam medicamenta, quæ ſudores movent, nunquam in febrium curatione commendavit. (*d*) Solanus quidem inter excretiones, quibus febres finiri ſolent, ſudores recenſet (*e*). Sed quæ in hanc rem proponit exempla non evincunt, has febres fuiſſe acutas continuas, &

(*a*) De judicat. c. 1. Ed. Mack. t. 1. p. 90 aph. 4. 36. (*b*) Hipp. Epid. l. 1. Sect. 3 ægr. 14 l 3. ſ. 1. ægr. 3. Freind. comm. 3 de febr. Glaſſ. comm. 10 de febr. (*c*) Medic. ration. t. 3. p. 330. (*d*) Freind. l. c. (*e*) Nihell. obſ. de pulſ. p. 7.

& ſolo ſudore ſanatas (*a*). De urina major dubitatio videtur; ſiquidem in multis probæ per veſicam expurgationes bono ſunt, (*b*) quod in ea ſubſidit læve atque æquale, ſi inſigni copia conſtanter prodit, morbi ſolutionem brevi inſtare plerumque denotat, ſed ex ſe gravem morbum raro ſolvit. Neque unquam Solanus ſimplicem criſin per urinam ſine dejectionibus obſervavit (*c*). Pericles (*d*) atque Nicodemus (*e*) copioſa urina, in qua multum ſuſidebat, atque profuſo per omne corpus ſudore a febre liberati ſunt. Haud raro etiam in acutis malis tunc demum quædam in urina ſubſidunt, quando finita febre jam ad ſanitatem venit corpus (*f*), quod niſi contingat, recidiva metuenda eſt (*g*) & in febribus, quæ intermittunt & per certa intervalla revertuntur, poſt finitam acceſſionem, ubi corpus jam integrum videtur, in urina quædam ſubſidunt & in imum deferuntur. Vomitus continuas febres raro judicat, unicam proponit hiſtoriam Hippocrates, ubi poſt varios & irritos naturæ conatus tandem decimo quarto die bilioſa, flava crebra vomitione ſunt refuſa, obortoque ſudore a febre judicatione liberata eſt mulier (*h*). Neque unquam Solanus obſervare potuit, vomitu, niſi ſimul adſint dejectiones, febres deſiiſſe (*i*). Sed potius exemplo Hippocratis credendum, ſæpe plures, nunquam

(*a*) Ib. p. 33. (*b*) Hipp. Epid. l. 3. Chart. t. 9. p. 282. (*c*) Nihell. ib. p. 7. (*d*) Hipp. Epid. l. 3. Sect. 2. ægr. 6. (*e*) Ib. ægr. 10. (*f*) Eſſ. Edinb. t. 3. art. 2. (*g*) Huxham. de aer. t. 2. p. 56. (*h*) Epid. l. 1. ægr. 13. Chart. t. 9. p. 115. (*i*) Nihell. obſ. de pulſ. p. 6.

quam non aliquam evacuationem morbum judicare; tunc ſi ſine calore corpus eſt, ſi ex facili ſpirat, ſi noctu dormit, ſi interdiu vigilat, ſi non conflictatur, ſi venter mollis per ſe excernit mollia & figurata, deſieruntque urgere cibi faſtidium & potionis deſiderium, jam ad ſanitatem devenit, & in quo omnia hæc adſunt, is ex toto judicatus & tutus eſt. Neque Hippocrates alia indicia habuiſſe videtur febrim omnino non eſſe. Sed poſt eum alii, ſi venæ, quæ ſub febre celeriores, jam bene conquieverunt, febrim jam penitus deſiiſſe teſtantur. Hippocrates autem, licet primus nomen pulſus litteris mandaverit, atque artem, quam complectitur, non videatur ignoraſſe, hanc tamen artis partem non multum elaboravit; neque cuilibet arteriarum motui hoc tribuit nominis (*a*); ſive ſigna ex pulſibus deſumta non noverit, ſive non magni momenti æſtimaverit. (*b*)

## §. II.

Alvum quidem ſemper facilem inter febres, præterquam circa judicationes, exoptavit Hippocrates. (*c*) Ante omnia autem ſcire convenit, naturam corporis; quia alios adſtricta, alios reſoluta alvus, exercet. Hinc inter bona ſigna notavit, ſi venter reddat, mollia, figurata, atque eodem fere tempo-

(*a*) Galen de pulſ. differ. c. 2. Chart. t. 8. p. 15. (*b*) Id. l. 3. de Criſ. c. 11. t. 8. p. 448. (*c*) de Judicat. c. 1. Ed. Mack. t. 1. p. 90.

pore, quo ſecunda valetudine aſſuevit (*a*); namque ex eo, quod venter ſuppreſſus parum reddit, etiam in ſanis inflationes, caligines, capitis dolores, febricula, aut ſubita dejectio inſtat; quæ igitur mala in acuta febre, ſi alvus ex toto ſuppreſſa, febri vires addunt, atque ægrotos excruciant. Ergo, cui ſatis alvus non reddit, cibos potioneſque aſſumat, qui ventrem molliunt, vel levi medicina, aut lotione etiam ex pura aqua (*b*) alvus ducenda eſt. Perniucioſa enim purgatio, ubi febres ſunt, ſi nimis valenti medicamento fiat. Hippocrates etiam in acutis pulmonis & laterum morbis, qui cæterum ſputis coctis & facile rejectis ſolvuntur, (*c*) alvum lotione ſubduxit. Atque hoc quidem facere oportet, ſi ſatis alvus non reddit quotidie, aduſque fere judicationes, circa eas vero contrahi debet venter (*d*); niſi hac via morbus exitum petat. Vulgus quidem, licet in acuta febre contra conſuetudinem pluribus diebus non deſcendat alvus, quum nulla cibi cupiditas adſit, ejus ſolutionem timet, quod cibi tantum reliquias per inteſtina depelli credat, adeoque dejectionem modo convenire debere his, quæ aſſumuntur. Sed quicquid jam corruptum ex omni corpore in partes inferiores derivatur, accedit bilis, pancreatis, ventriculi, atque inteſtinorum ſuccus, quæ omnia intra inte-

ſtina

(*a*) Coac. præn. 601. ib. p. 189. prognoſt. c. 6. ib. p. 65. (*b*) Aet. tetr. 1. Serm. 3. c. 159. Celſ. l. 2. c. 12. (*c*) Progn. c. 9. Ed. Mack. t. 1. p. 68. de affect c 3. ib. t. 2. p. 303. 304. Galen. de Criſ. l. 1. c. 18. t. 8. p. 412. Huxham obſ. de aer. t. 1. p. 63. 153. 156. (*d*) Hipp. de judicat. l. c. Coac. citat.

ſtina diu retenta, ubi aëri obvia ſunt, calore febrili putridiſſima evadunt, & noxia. Igitur lenis alvi ductio, dempta hac materia, ſuperioribus partibus levatis, morbum ipſum mollit. Neque unquam in acuta febre, per illud tempus, quo de ægro judicari nequit, cita alvus terrere protinus debet, ſi non lædit, ſi levatur febris, ſi procedente tempore paulatim contrahitur, & rufa eſt; aut ſi præcordiorum inflatio, capitis dolor, vel delirium hac evacuatione remittat; ſemper enim Hippocrates bonæ evacuationis indicium propoſuit εὐφορίαν ſive ferendi facilitatem (*a*) & tunc talia purgantur, qualia purgari oportet: e contra, ſi per evacuationem ingraveſcant mala, ſiſtenda erit (*b*).

Putavit Galenus nulla eſſe propria ſigna, quæ inter febres docent decretorias dejectiones inſtare (*c*); interim expectari debent, ſi ructus adſunt, & flatus, ſtrepitus ac elevationes ventris (*d*), ſi membra inhorreſcunt cum jactatione, ſi lumborum dolor ſupervenit, totumque corpus laſſitudinem ſentit (*e*), ſi futuræ judicationis ſigna adſunt, nulla tamen quæ ſanguinis profuſiones vel ſudationem præmonſtrant. (*f*) Commodum vero videtur, his addere ejuſdem fluoris notas, quas nuperrime propoſuerunt Solanus atque Nihell,, pulſus intermittens certum indicium eſt futuræ diarrhææ criticæ, tunc que tandem portendit mortem, cum robur, ad per-

(*a*) Hipp. a. 1. 2. 23. 25. a. 4. 3. Galen. comm. in aph. 4 2. (*b*) aph. 4. 2. (*c*) de Criſ. l. 3. c. 11. Charter t. 8. p. 449. (*d*) Hipp. Coac. 143. Ed. Mack. t. 1. p. 151. (*e*) Ib. Coac. 18. p. 145. (*f*) Galen. l. c.

perficiendam criſin requiſitum deficit. Spatium temporis intermiſſionibus abſumpti, quantitatem materiæ, quæ evacuabitur, vel numerum dejectionum ſignificat. Intermiſſio, quæ ſpatio unius diaſtoles durat, vel in qua una tantum diaſtole deficit, parcam evacuationem innuit, vel paucas dejectiones: ea, quæ duplicis diaſtoles ſpatium abſumit, ingentem evacuationem ſignificat, vel multas dejectiones: ea denique, quæ duas diaſtoles cum dimidia abſumit (longiſſima a Solano obſervata intermiſſio) admodum profuſam evacuationem, vel ingentem numerum dejectionum indicat. Tenſio arteriæ pulſui intermittenti conjuncta certum eſt vomitus critici, diarrhœæ ſuperaddendi, indicium. Major minorve arteriæ tenſio majorem minoremve per vomitum evacuationem, plures paucioreſve vomendi conatus denotat. Intermiſſionis duratio ſimpliciter junctæ diarrhææ quantitatem, vel numerum dejectionum reſpicit. (*a*) Neque tamen perpetua hæc obſervatio, licet raro fallat (*b*).

Quo autem facilius ægri judicentur, id, quod ſpiſſum eſt, tenuari, quod acre, molliri oportet, cavendum eſt etiam, ut emiſſaria, per quæ corpus noxiam materiem expellere conſuevit, aperta maneant, ut placido, quantum morbus permittit, humorum motu dierum judicantium acceſſiones exſpectentur: tumque ea, quæ judicantur & judicata ſunt

(*a*) J. Nihell. obſ. circa criſium prædict. ex pulſu. p. 5. 6. 25. & ſeq. (*b*) Ib. p. 56. 57. 112. 63.

ſunt perfecte, neque movere oportet, neque innovare, ſive medicamentis ſive aliis irritamentis ſed ſinere (*a*). Atque vigentibus morbis quieſcere melius eſt (*b*). Medicus rem omnem naturæ committere & ſolum ad victus rationem omnem curam ſuam transferre debet. Notavit Hippocrates omnia jam vehementiora eſſe (*c*); nam febriles impetus increſcunt, ut ſecernatur ſincero quod corrigi nefas, & expellant quod mora noceret; natura, quæ jam ſibi ſola ſufficit, labore conflictata irritamenta ferre nequit.

Febre autem ipſa crudam materiam naturaliter digeri, concoctamque atque a ſinceris ſecretam ſæpe per vaſa, quæ ſub præcordiis diſcurrunt, in inteſtina excerni, profeſſi ſunt antiqui. Hippocrates pleroſque morbos, qui populum invadunt, alios per ſpontaneum alvi profluvium ſenſim levatos fuiſſe, aliis valetudinem integram cito reſtitutam, animadvertit (*d*). Certus igitur hoc præcipue auxilio; naturam febribus occurrere vel mederi, atque diligens naturæ imitator (*e*), ſæpe inter febres alvum ducere conſueverat, ſi ſponte non deſcenderet: idemque omnes memoria digni, qui poſt eum medicinam exercuerunt, experimentis ducti probaverunt (*f*).

Hæc

(*a*) Hipp. aph. 1. 20. de humor. c. 3. ed. Mack. T. 1. p. 83. (*b*) Hipp. aph. 2. 29. (*c*) Galen. comm. in Hipp. aph. 1. 20. Charter. T. 9. p. 37. in l. de humor. T. 8. p. 544. (*d*) Freind. comm. 7. de febr. (*e*) de arte. c. 10. ed. Mack. T. 1. p. 14. de alimento ib. T. 2. p. 90. Galen. comm. in l. c. Chart. 6. p. 265. Hipp. epid. l. 6. Charter. T. 9. p. 509. 513. (*f*) Freind. ib.

Hæc autem medendi ratio in morbis acutis plurima eget cautione (*a*) atque aptiſſimam deſiderat moderationem. Inter antiquiores, poſt Hippocratem, dejectionem quidam variis atque valentioribus medicamentis crebraque alvi ductione in omnibus fere morbis moliebantur; donec Asclepiades, multarum rerum author bonus, hanc medendi rationem ex magna parte non ſine cauſa permutaret; hic enim medicamenta non ſuſtulit, ſed damnavit merito purgationes tunc ſupra modum frequentes; putavitque, in morbis acutis, ubi febres ſunt, ſi venter ſuppreſſus parum reddit, dejectionem a medicamento non eſſe petendam, ſatius eſſe, cibis potionibusque uti his, quæ hoc præſtant; dehinc, ſi parum illa proficiant, alvum lotionibus ducendam eſſe (*b*). Poſtea vero recentiores viri purgandi præcepta, quæ primus clariſſime condidit Hippocrates, ſecuti ſunt, atque excoluerunt. Nihil autem horum utique perpetuum eſt; refert enim, qualis morbus ſit, quale corpus, quale cœlum, quod tempus anni, quæ morborum, qui per populum vagantur, conſtitutio (*c*).

Cum ea, quæ judicantur, & penitus judicata ſunt, ſinere oporteat, atque vigente morbo, quiescere melius ſit, medicus ſæpe rem naturæ committere, & ſolum ad victus rationem omnem curam ſuam transferre debet, aliquando etiam medicamenta ad-

(*a*) Hipp. a. 1. 24. (*b*) Cæl. Aurelian. acut. morb. l. 1. c. 14. Scribon Larg. ad C. Jul. Calliſt. epiſt. Celſ. l. 2. c. 12. (*c*) Hipph. aph. 1. 2.

adhibere: nam ut illud, ubi bona judicatio facta eſt, vel fit, in plerisque morbis utilius eſt, ſic, ubi jam conſiſtat morbus, neque ſequatur evacuatio, vel ubi parum judicentur ægri, id, quod deeſt, addendum eſt, ne poſtea iterum ſimilia mala corporibus incidant (*a*). Quidam dicunt, omne auxilium neceſſarium eſſe, increscentibus morbis, non cum jam per ſe finiuntur. Quod non ita ſe habet; poteſt enim morbus, etiam qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito auxilio tolli. Quod duabus de cauſis neceſſarium eſt: &, ut quam primum bona valetudo contingat, & ne morbus, qui remanet, iterum, quamvis levi de cauſa, exaſperetur. Poteſt enim morbus minus gravis eſſe, quam fuerit, neque ideo tamen ſolvi: ſed reliquiis quibusdam inhærere, quas admotum aliquod auxilium discutiat. Vigentibus vero morbis, dum graviores dolores, acceſſionesque urgent, quiescere melius eſt, ſiquidem, ubi de ægris judicatur, ingens pugna eſſe conſuevit, qua nulli remedio aut irritamento locus eſt, ne natura medicamento oneretur, aut corpus ipſum exinaniatur, ſummo ægrotorum damno, quaſi non ſufficere videretur morbi vis, niſi accederet medici imperitia (*b*). In morbis acutis a medente quidem nullum ma-

(*a*) Hipp. aph. 2. 27. 12. vid. Galen. comm. in Hipp. aph. 1. 20. T. 9. p. 37. Fernel. meth. med. l. 3. c. 12. p. 76. 77. Lomm. de curand. febr. p. 149. Freind. comm. 7. de febr. & epiſt. de purg. in variol. (*b*) Hipp. aph. 2. 12. 27. 29. præcept. c. 1. ed. Mack. T. 1. p. 50. Galen. comm. in Hipp. de humor. T. 8. p. 544. in aph. 2. 29.

malum inferri debet, ſatis enim ſunt, quæ ab ipſis morbis adſunt, ſed bonum quoque pro viribus conciliari. Quod ſi, probe quidem curante medico, morbi magnitudine ſuperetur æger, hæc medici culpa non eſt; ſi vero, cum recte non curet, neque morbum cognoscat, a morbo ſuperetur, medici culpa eſt (*a*); plurimi enim falluntur, dum ſe quovis die, & acceſſionibus inſtantibus, levaturos morbum, aut ſanguinis miſſione aut coacta dejectione, ſperant. Sæpe eo tempore medicamentum, quamvis lene, ingentes tumultus, maximeque, ubi bilis ægrum male habet, nimias purgationes inducit (*b*). Attamen & illud notare oportet, judicationem ſæpius ſine prævia memorabili perturbatione perfici, & poſt inſignes etiam per miſſionem ſanguinis purgationemque evacuationes occurrere (*c*).Sed ſi nulla, vel leviora, judicia ſint, tum demum, quæ ducere oportet, quo maxime vergunt, ducenda ſunt, qua via commode expelli poſſunt (*d*). Cumque ei rei alvus aptiſſima eſt, medicus, ſi humores deorſum, & ad inteſtina ſe conferunt, ventrem mollire debet; utique ſi ejusmodi tempeſtates aut ſpecies morborum corripiant, quæ id requirere videntur.

Servanda vero illa ſunt, ne in acutis affectionibus alvus crebro inter initia ducatur; ne ulla cru-

di-

(*a*) Hipp. de affect. c. 3. ed. Mack. T. 2. p. 306. (*b*) Galen. in Hipp. de humor. Charter. T. 8. p. 544. Ballon. l. 1. conſ. 84. (*c*) Nihell. de pulſ. p. 84. (*d*) Hipp. aph. 1. 21. de humor. ed. Mack. T. 1. p. 83. Galen. comm. in aph. cit. T. 9. p. 38. in l. de humor. T. 8. p. 547.

ditate ſubſtante: concoctam enim materiem medicamentis educi & moveri oportet, non crudam, neque primis diebus, niſi turgeat, plurima vero non turgent (*a*). Antiqui, medicamentis quibusdam datis, concoctionem moliebantur; eo, quod cruditatem maxime horrebant: deinde eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo ſæpius alvum, ſubtrahebant. Illa autem materies, quæ ſub fine morbi expelli conſuevit, cum ſit effectus febris jam pene finitæ, inter initia turgere nequit. Igitur turgens illud, de quo hic loquitur Hippocrates, videtur aliquid moleſtum ſub præcordiis circa primæ digeſtionis vias hærens, quod aut per os, aut per alvum, plerumque excuti poteſt, atque haud raro ventriculum aut inteſtina ad ſui expulſionem irritat: id docent indicia, quibus conſtat, inter febres purgationem convenire, quum ſint notæ materiæ turgentis, ſiquidem ubi ea non turget, medicamenta ſub ingreſſu febris prohibuit. Nam medicamentorum dari potiones & alvum duci, ubi febres ſunt, oportet, ſi nauſea eſt atque cibi faſtidium,

(*a*) Hipp. aph. I. 22. Nota: πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μὴ γὰρ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ γὰρ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ. Id ὀργᾶν, quod turgere vertimus, proprie ſignificat, ad coitum impetu ferri, ab animantibus in Venerem concitatis; ad humores tranſlatum eſt. Sic ſucci dicuntur ὀργᾶν in plantis. Et, quemadmodum animalia quiescere non poſſunt, titillata, atque impulſa ab ejusmodi affectus impotentia; ſic & humores plerumque, dum motu feruntur concitatiori, & ab una parte ad alteram transfluunt, ſtatim initio morbi hominem infeſtant, concitantes & titillantes nec quiescere ſinunt. Ideoque ὀργᾶν de humoribus dici ſolet, qui ad exitum paratiſſimi ſunt, & urgent. vid. Galen. in aphor. citat. T. 9. p. 39. Glaſſ. comm. 7. de febr. p. 89.

dium, ſi lingua ſordibus obſeſſa, ſi oris ventriculi morſus, ſi anxietates, ſi in ſtomachum biliofa quædam concurrunt vel etiam pituita eo ſe confert, ſi præcordia tument, ſi in imo ventre dolores ſunt, ſi caput grave eſt, ſi oculi caligant, ſi ſtercoris odorem nihil dejiciens æger ex ſpiritu ſuo ſentit &c. (*a*). Hæc autem mala accidentia febribus vires addunt, nec prius ulla arte ceſſant, quam materia turgens commoda purgatione expulſa ſit: igitur, ubi turget, inter initia febrium omnino purgandum eſt; ſi autem ſurſum tendat, vomitu educere eportet, ſi deorſum, dejectiones ciere: ſiquidem proxima quaque via, modo commoda ſit, morbus evocandus eſt. Tunc gravia illa accidentia, quæ materiem turgentem indicant, levantur; ex quo ægri facilius ferunt febres, & abſque vehementi perturbatione judicantur (*b*). Minime tamen, demta hac materia, ad integritatem venitur; ſed acceſſiones leviores fore, febrimque citius finiri ſpes eſt.

Hippocrates incipiente morbo purgationes non rejecit, tantummodo quando cruditatis ſigna eſſent primis diebus minus aptas apprehendit (*c*). Atque idem, alio loco, ipſas acceſſiones, inter initia conſtitutionis morborum intueri docuit, & ex his

(*a*) Hipp. de affect. c. 2. ed. Mack. T. 2. p. 302. c. 3. ib. p. 305. c. 4. ib. 306. 307. Coac. 142. 143. 281. epid. l. 1. Chart. T. 9. p. 61. de victu acutor. l. 4. ed. Mack. T. 2. p. 120. 122. 123. 125. aph. 4. 18. Glaſſ. comm. 7. de febr.
(*b*) Fernel. method. cur. febr. c. 8. p. 300. (*c*) Martianus in aph. 1. 23.

his conjectare, an medicamentum purgans, vel aliud quodcunque neceſſarium auxilium vires ferre poſſent, ne poſtea, dum morbus ſe inclinavit, & æger imbecillis eſt ex validiori remedio, deficiant (*a*). Philiscus, quem acuta febris prehenderat, cum altero die omnia ingravescerent, alvo lotione ſubducta, meliuscule habuit (*b*). Neque ſpontanea alvi ſolutio inter febres, dum hæ increscunt, niſi modum excedat, malum portendit. In ſebre ardente, ſi alvus valde ſoluta ſit, lethale dixit Hippocrates (*c*), ut Sileno contigit (*d*), ſed Clazomenius vehementiſſima febre correptus ab initio ad decimum quartum diem usque multa tenuia dejecit, inde commode habebat, dein alvus ſuppreſſa eſt; ad trigeſimum primum ex alvi profluvio aquoſa excrementa multa & cujusmodi in difficultate inteſtinorum eſſe ſolent, prodierunt, craſſas urinas reddidit, convaluit (*e*).

At quibus per initia febrium urinæ nebuloſæ aut etiam craſſæ ſunt, hos, ſi cætera quoque conferant, ſubpurgare oportet; quibus vero urinæ inter initia tenues, eos ne purgato; ſed, ſi videatur, alvum ſublue (*f*). Solutam materiem jam moveri ex hoc indicio cognosci volunt (*g*).

Unum illud & ſemper & ubique ſervandum eſt, ut

(*a*) De affect. c. 2. ed. Mack. t. 2. p. 302. (*b*) Epid. l. 1. Charter. t. 9. p. 99. (*c*) Coac. 128. ed. Mack. t. 1. p. 151. (*d*) Epid. l. 1. ægr. 2. (*e*) Ib. ægr. 10 vid. l. 3. ſect. 1. ægr. 5. (*f*) Hipp. de victu acutor. ed. Mack. t. 2. p. 124. (*g*) Martian. l. c. Barker eſſ. ſur la conformité de la medic. p. 175.

ut turgens materia quovis tempore evocare liceat, (*a*) ut morbi genus, quod alvo cita levatur, medicus conſideret, & quamdiu increſcit, ventrem liquidam teneat, &, ſi tempore judicationis defectum naturæ vereri cœperit, medicamentis ſubveniat.

§. III.

Hæc magis per pleraque genera febrium perpetua ſunt: nunc ad ſingulas earum ſpecies deſcendam. Igitur, ſi ex bile putrida febris fuit, quæ intra ſeptimum, & quartum decimum diem, dejectionibus ſolvi conſuevit, octavo, aut nono alvum ducere oportet, niſi eo tempore ſudor aut puſtulæ id prohibeant. Ante etiam lotionibus uti, & ventrem mollire convenit, ut corrupta materies evocetur, morbusque fluore deſinat (*b*). Quæ, anno 1719, per Angliam vagabatur, ſæpe, duodecimo die dejectiones adeo vehementes movit, ut ægrorum vires proſternerentur. Plerumque vero, ubi, in toto morbi decurſu, venter liquidus erat, minus & calor, & delirium, & membrorum jactatio urgebant, febrisque facilius, circa ſextum decimum diem, orto ſudore, judicabatur (*c*). Atque, in alia conſtitutione, præcipue, ſi a vomitu curatio non inceperat, ſub finem, ventris fluxus, interdum cruenta tormina acceſſerunt, quibusdam etiam mortifera. Commode vero lenia medicamenta po-

(*a*) Guy patin. t. 1. lett. 43. (*b*) Huxham eſſ. of fevers. c. 8. (*c*) Glaſſ. comm. 7. de febr. p. 88.

potiſſimum ex rhabarbaro, reliquias corrupti humoris expurgabant; valentiſſimis, & quibus aloë mixta erat, tormenta, cum ſanguinis profuſione, intendebantur. Quies tamen, quamvis aſperioribus non uterentur, potione adhibenda erat (*a*). Itemque multum, febrem popularem anni 1735, rheum quotidie datum levavit, viresque reſtituit ſpiritus vini ſubinde adſumptus (*b*).

## §. IV.

Etiam in lenta febre medici cura eſſe debet, ut hoc modo morbum mutet: ſæpe enim curationi opportunior fiet. Neque alienum eſt, ſi diu frigus eſt, & torpor, & jactatio corporis in ipſa febre dare, mulſi tres, aut quatuor cyathos, vel cum cibo vinum bene dilutum. Exque rheo alternis diebus, modice ſumto, cum ſenſim vitioſus humor effluit, ſequitur etiam remiſſio, qua remediis locus ſit. In his potiones quoque, ſi nimis liquida alvus fertur, quæ ex odoribus fiunt, cum ſucco papaveris, idoneæ ſunt (*c*) & frictio ex oleo & ſale ſalubris videtur, ratione habita ſubinde & virium hominis, & morbi.

## §. V.

At, ſi continua febris conſiſtit, neque levior unquam fit, cum eo tempore fere, vigiliæ, deliria, æſtus,

(*a*) Huxham obſ. de aëre T. I. p. 33. 34. (*b*) Id. ib. p. 110. (*c*) Id. ib. p. 160. 161.

æſtus, ſitis, jactatio vexant, verendum eſt, ne ſi quid tunc moverimus, fiat aliquid aſperius. Ob hæc, purgatione, malos affectus antevertere ſatius eſt, febre adhuc increſcente. Id tum neque acceſſiones, quæ nondum ad ſummum venerunt, impediunt, neque materies morbi dehortatur, quæ jam plurima parte maturuit. Extenuata enim, juxta jecur vicinasque venas bilioſas, & magis cocta, ducendo alvum, ſubtrahi poteſt; quæ eo longiſſime diſtat, & forte adhuc cruda eſt, proximæ judicationi excernenda relinqui (*a*). Si vero ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio eſt: nam ingens profluvium alvi, interitus periculum oſtendit. Levior autem dejectio die judicationis, interdum præſentiſſimum auxilium eſt. Cui etiam ſatis alvus reddit quotidie, raro hujusmodi febre laborat: quive ex hac moritur, plerumque, ante morbum, eam ſuppreſſam habuit. Itaque levi medicina corruptam materiem extrahere, febrisque fervorem lenire, optimum eſt (*b*).

## §. VI.

In peſtilentia autem minime utile eſt, aut medicamentis uti aut ducere alvum. Et adhuc integro cum ſecurus eſſe non poſſit, non movenda alvus, atque ſi per ſe mota eſt, comprimenda eſt. Hippocrates, in hoc genere morborum, crudas dejectiones,

(*a*) Vid. Fernel. l. 3. method. c. 12. p. 78. Lomm. de curand. febr. p. 145. 147. (*b*) v. Swieten. comm. T. 2. p. 479. 487.

nes, ſive cum febre, ſive ſine hac erant, nihil levare, animadvertit: ventrem quoque ex dolore ſuppreſſum, malum eſſe, & purgatione deteriorem, fieri: omneſque, quotquot interierunt, brevi aut diu tracto ventris fluore fuiſſe peremtos. (*a*) Alvus quoque liquida in ea, quæ Galeni ætate, diutiſſime graſſabatur, peſtifera erat. (*b*) Nullumque eorum, quos noverat, Hildanus Lauſannæ a peſtilenti profluvio ſe explicuiſſe, confeſſus eſt. (*c*) Id etiam, ſemper ejuſmodi ægris, ingens periculum effeciſſe, Diemerbroeckius affirmavit, nam, cum protinus medicamentis venter non conſiſteret, poſtea nullis remediis, ſuccurri poterat. (*d*) Alvus vero adſtricta, donec febris decederet, bona fuit, nemini noxia. Cita vix centeſimo vitam pepercit. (*e*) Leviſſima etiam medicamenta, quæ ventrem liquant, dejectiones mortiferas excitarunt. (*f*) Vix unquam fluxus per ſe deſiit: ſæpe nullo modo impetus ventris prohiberi potuit. (*g*) Quovis morbi tempore, perſpirationem & tumores intendere, omnique ope, ſudorem evocare, neceſſarium erat. (*h*) Quod ſæpe, in febribus peſtilentibus, efficaciſſimum eſt. Riverius multa potione ex iis, quæ perſpiratione movendæ ſunt, (*i*) Sydenhamus, ſi nihil dari vomitus patiebatur, multa veſte ægros operiendo, periculoſiſſimos ventris flu-

(*a*) L. 3. Epid. t. 9. p. 225. 226. 274. 275. 279 280. (*b*) Galen. in loc. Hipp. citat. (*c*) cent. 4. obſ. 22. (*d*) de peſte l. 3. c. 11. p. 174. l. 4. p. 196. (*e*) Id. ibid. l. 1. c. 15. p. 68. (*f*) Ib. p. 212. (*g*) Ib. p. 71. 72. (*h*) Ib. l. 3. c. 11. p. 174. (*i*) Prax. l. 17. ſect. 3. c. 1. p. 495.

ﬂuxus, ſubito cohibuerunt. (*a*) Fereque omnes Lutetiæ, quos anno 1568. ejuſmodi tempeſtas corripuerat, calidis medicamentis curationem receperunt. (*b*) Palmarius etiam, qui per biennium valetudinariis medebatur, in febre peſtilente Brittannorum ad id confugit, quod quotidie ſumendo Rex Mithridates dicitur, adverſus venenorum pericula tutum corpus ſuum reddidiſſe. (*c*) Contra hi, qui ſe 'εμπειρικοὺς ab experientia nominant, plurimos, vena inciſa, aut valida alvi ductione in ipſo impetu jugularunt; (*d*) paucis tantummodo ſervatis, quibus forte ulterioribus diebus dejectiones moliebantur. (*e*) Ergo in his morbis ratio idem docet agendum eſſe, quod experientia: non facile ſanguinem mittere: non facile alvum ducere (*f*) niſi jam inclinante febre, (*g*) ſed ſudationibus curare.

## §. VII.

Plurima tamen, in tempeſtatum habitu, diſcrimina reperiuntur: ſiquidem in quibuſdam aliter atque in cæteris idem evenit, & certæ quædam conſtitutiones ſunt, quæ aut ſanguinis detractionem deſiderant, aut dejectionibus ſolvuntur. (*h*) Maxime in his, peritiſſimus etiam medicus, expe-

(*a*) 125. 126. (*b*) Palmar. de febr. peſtilent. c. 7. p. 507. (*c*) Id. ibid. p. 508. (*d*) Id. l. c. Foreſt. l. 6. obſ. 17. t. 1. (*e*) Id. ib. (*f*) vid. Pareum l. 4. de peſte c. 26. Fernel. de abdit. morb. cauſ. c. 12. p. 138. (*g*) Palmar. l. c. p. 508. (*h*) Ballon. l. 2. conſil. hiſt. 5. t. 3. p. 105.

periundo diſcere cogitur. (*a*) Galenus quadam æſtate, peſtilentiam diu ſæviiſſe, memoriæ tradidit, qua, quamvis nono, aut ſeptimo, aut undecimo die, dejectiones, quas nigras appellant, accederent, plurimi liberabantur: puſtulæ vero, ſi alvus non fluebat, circa totum corpus fiebant, ſimiles his, quas ἐξανθήματα Græci vocant: omnesque, quibus bilis atra ſe promſit, facile conſumebantur. (*b*) Atque, alio loco, nigras dejectiones & ei, qui a periculo tutus, & qui in præcipiti erat, ab exuſto ſanguine ortos fuiſſe, dixit, non in principio, aut incremento, ſed fine morborum cum ante fulva, vel rubicunda venter redderet (*c*).

Cremonæ autem, & in ejus loca vicina, anno 1735, febrem malignam, quæ maximam incolarum partem prehendit, paucos peremit: (*d*) profuſio alvi, pluribus diebus, anteceſſit, plerumque, incipiente morbo, ex toto ſuppreſſa, vel certe minuta: nonnunquam ante eum, nauſea, & vomitus, & præcordiorum anxietas fuit. (*e*) Sæpe, inter initia, ex dejectionibus bilioſis, & mali odoris, anima defecit. (*f*) Pleriſque ſeptimo die petechiæ proruperunt, (*g*) ſine ullo levamine. (*h*) Et fuſior alvus, flava magis, ac fœtida erat: intentaque præcordia, maxime dextra, levi preſſione, dolebant. Circa octavum, leviores acceſſiones interdum cum crebra dejectione, venerunt: rur-

(*a*) Hoffman. med. rat. t. 4. part. 1. p. 268. (*b*) de atra bile c. 4. t. 3. p. 169. (*c*) in Hipp. a. 4. 21. t. 9. p. 144. (*d*) Valcareng. med. rat. p. 160. 161. (*e*) Ib. p. 162. (*f*) Ib. p. 164. (*g*) Ib. p. 165. (*h*) Ib. p. 174.

rurſus nono & fluor & febris increvit: ſequens vero dies paulo remiſſior fuit: ſed, ab undecimo, ad quartum decimum, quo de ægris ſive male, ſive bene judicari ſolebat, omnia retro revolvi, viſa ſunt. Interdum, ubi morbus conſiſtebat, ſingultus ſupervenit, plerumque alvi profluvio ſublatus. Cui vero, a nono id malum cum frigore acceſſerat, dextraque præcordia vehementur tumuerant, mors, quarto decimo die, fuit in propinquo, præcipue, ſi biloſa alvus minus proflueret (*a*). Neque ſudor, neque urina, neque ſanguinis etiam e naribus curſus febrim ſolvit, (*b*) ſed venter modice fluens (*c*). Tutiſſimum fuit, aut alvum, ſi fuſior eſſet, lotionibus, aut, ſi graviores acceſſiones urgerent, medicamento ducere, (*d*) quo, ſi quid corruptum intus hærere, vomitus, nauſea, ſpirandi difficultas, aut os amarum ſignificaret, ſuperans materies diduci, faciliuſque judicationes, conſueto tempore, peragi poſſint, mollitis inteſtinis. (*e*) Leve tamen, quod proximam tantum materiem extrahit, adhibere, ſatis fuit (*f*). Eoque modo, mala ſemper minui conſueverant, quæ cæteroquin, niſi venter per ſe flueret, increſcebant (*g*). Procedente vero morbo, prout alvus magis, minuſve adſtricta eſſet, acceſſionibus, lotione, aut levi medicamento ſubveniendum erat (*h*). Tempore autem judicationis, quotieſcunque na-

(*a*) Ib. p. 165. 166. 167. (*b*) Ib. p. 169. 170. 173. (*c*) Ib. p. 168. (*d*) Ib. p. 210. (*e*) Ib. p. 205. 215. (*f*) Ib. p. 208. 215. (*g*) Ib. 217. 221. (*h*) Ib. p. 220. 221.

natura, vel ex ſe, vel provide adjuta, concoctos humores effundere conabatur, eam ſibi ſoli committere, utile fuit. Id, poſt ſeptimum diem, plerumque fieri incepit, & quarto decimo finiri, interdum ad unum & vigeſimum protendi. Os magis purum, cibi deſiderium, ſomnus tranquillior, concoctæ dejectiones, morbum penitus ſolutum eſſe, docuerunt. Nauſea, præcordiorum tumor, eſt ſimilia mala aptæ adhuc purgationis indicia erant. (*a*) Sed Coloniæ, tam ruri, quam in urbe, anno 1671 febris cum petechiis invaſit: quam, in ipſa acceſſione, & gravitas præcordiorum, & nauſea, & ſæpe alvi dejectio urgere; ſeptimo die, ſudor ſolvere coepit. In hac, utique ſi remedia idonea adhiberentur, minus periculi fuit: facileque ventris fluxus, qui ægros, cum judicarentur, male habebat, inter initia, levi purgatione anteverti potuit, acceſſionesque levari. (*b*) Quæ vero Italiam, omnemque Siciliam confecit, raro vel ſudore, vel urina, ſoluta fuit, fœtida dejecit, maculas variorum colorum excitavit; fereque omnes, quibus erat convaleſcendum, poſt ſeptimum, quoſdam poſt diem nonum alvi profluvio judicare conſuevit: tandem urina, adhuc cruda, inter fluendum concocta, omnino finiri. (*c*)

Neque hercule, is his febribus acceſſiones maculis, quæ quarto, quinto, aut ſeptimo die inter-

(*a*) Ib. p. 236. (*b*) Donckers idea febris petechial. p. 234. 283. 286. 290. 350. (*c*) G. Columba de febr. peſtilent. in præfat. p. 1. & l. 2. c. 21. p. 231. 233.

terveniunt, remittuntur, ſed magis corpus affligunt. (*a*) Nihil vero plus, ſub finem morbi, quam liquida alvus, prodeſt. Hoſmannus, cum per 46 annos medicinam exercuiſſet, raro ea, quæ per ſudores, aut ſanguinis profuſione erumpunt, tuta fuiſſe expertus eſt. Nihil quoque magis peſtiferum deprehendit, quam alvus, primis diebus, nimis fuſa, aut, judicii tempore, ſuppreſſa (*b*). Itaque ipſas febres medicum intueri oportet, & etiam tempeſtatis habitum, & ad eum dirigere curationem, ſeu juvant ſudores, ſeu nocent, ſeu dejectiones, quæ plerumque, a die ſeptimo ad decimum quartum incidunt, morbum ſolvunt. (*c*)

## §. VIII.

Nec minus dubitari poteſt, an alvus ducenda ſit in inſania, quæ & acuta, & in febre eſt. (*d*) Græci φρενῖτιν appellant. Nam ventris fluor id ipſum, quod gravat, extrahit & ſanguinis curſum a capite avertit. Remedia vero adhibere, ubi maxime furor urget, ſupervacuum eſt: ſimul enim febris quoque increſcit. Sed ante, ſi vires ægri patiuntur, ſanguis mitti debet. Fereque in omni morbo, qui in capite cum acuta febre oritur, quive circa faciem, aut cervicem innaſcitur, vel qui in faucibus eſt, & modo in ſpirandi, modo in devorandi difficultate conſiſtit, ſanguinem mittere opti-

(*a*) Hoffman. med. rat. t. 4. part. 1. p. 258. (*b*) Ib. p. 266. (*c*) Ib. p. 267. (*d*) Hipp. de affect. c. 3. ed. Mack. t. 2. p. 305.

optimum eſt: ſi finitum eo malum non eſt, ducere alvum, ſatiuſque eſt id omni ope diſcutere, ne antequam febris ſolvi poſſit, ex nimia inflammatione vita ipſa periclitetur. Nonnunquam, ubi febris eſt, delirii cauſa ſub præcordiis hæret, tunc, quæ a capite avertunt, fruſtra adhibentur, ſed vomitus neceſſarius, vel dejectio; ſic enim excuſſa materie reſipiunt. (*a*)

§. IX.

Ubi vero cruſta ulcuſculorum, quas nunc ἄφθας appellant, decidit, ſalivæ & alvi profuſio ſequitur, eaque ſi modica eſt, neque puſtulæ revertuntur, aut vires deficiunt, ſecuritatem pollicetur: cruſtamque diu inhærere, periculoſum eſt. Proinde gargarizare oportet, os & ea quæ intus ſunt, molliter fovere tepida, lotionibus alvum ducere in imbecillis, cruſtas reſolvere aqua, in qua cortex Peruvianus decoctus ſit. At, ſi jam exciderunt, lenibus & quæ dolorem molliunt, utendum eſt; ſi urina ſubſidat, leviter reprimentibus; deinde cum deceſſio eorum conſiſtit, ventrem ſimul movere, & firmare, expedit. (*b*)

§. X.

Nonnunquam autem morbus quoque, ſi levior eſt,

(*a*) Helmont dageraat der geneeskonſt p. 287, 288. van Swieten comm. tom. 2. p. 327. (*b*) vid. van Swieten Comm. in Aph. Boerhaave Tom. 3. p. 210. & ſeqq. Huxham. obſ. de aer. t. 1. p. 160.

eſt, qui ex pulmone oritur, alvo cita levatur. (*a*) Περιπνευμονίαν Græci vocant. Ergo primis diebus, danda eſt ſorbitio, vel ptiſanæ vel alicæ, vel oryžæ. Proſuntque, ſub eo caſu, impoſita calida fomenta abdomini, vel ea, quæ emolliunt. Prodeſt etiam alvi lotio, quia leviter inteſtina lubricat, eoque impetum materiæ, qua pulmo vexatur, evocat. Si vero is vehementer afficitur, peſſimæ dejectiones ſunt, quæ per acceſſiones increſcunt. (*b*)

## §. XI.

Diſſimile eſt id genus, quod Peripneumoniam notham vocant. In hoc, ſi ſatis vires ſint, alternis diebus, ſin minores, poſt majora intervalla, alvum ducere, neceſſarium eſt. (*c*) Secus, ac ubi acuti morbi ſigna ſunt. (*d*) Nam gravedinem, ſi in pulmonem deſtillat, iis, quæ ventrem molliunt, multum adjuvari, reſpondet multiplex experientia. (*e*) Præcipue, ubi febris deceſſit, & humida tuſſis vetus facta eſt. (*f*) Nonnunquam illam, quæ hyeme quadam Anglos vehementiſſime urſit, mortifera tabes ſecuta fuit, ſæpe alvi profluvium finivit. Itaque, duce natura, quando febris ſe inclinaverat, levi medicamento, facilis ad bo-

(*a*) Hipp. prognoſt. c. 9. ed. Mack. t. 1. p. 68. c. 11. p. 72. Galen. comm in aph. Hipp. 6. 16. Charter. t. 9. p. 256. Aretæus de cauſ. morbor. acutor. l. 2. c. 1. Huxham. obſ. de aer. t. 2. p. 152. (*b*) Hipp. de affect. c. 3. ed. Mack. t. 2. p. 304. aph. 6. 16. Huxham. obſ. de aer. t. 2. p. 156. 153. (*c*) Sydenh. p. 270. 583. (*d*) Ib. p. 271. (*e*) Huxham. eſſ. of fev. c. 2. peripneumon. (*f*) Hoffman. med. rat. t. 4. part. 1. p. 132.

bonam valetudinem, & ciborum deſiderium, recurſus fuit. (*a*)

Interdum etiam acutus morbus, qui πλευριτικὸς a Græcis nominatur, ante quartum diem, dejectionibus, quæ bilem repræſentant, ſolvitur: tumque ſpiritus commodius trahi incipit, mens bene ſe habet, febres quieſcunt, cibi deſiderantur. (*b*) Sed ne alvus cita quidem, poſt quartum diem, protinus terrere debet: ſi, circa octavum ægros exercet, quarto decimo ſalus ſperari poteſt. (*c*) Illud quoque ſcire oportet, quod modo ventrem is morbus comprimit, modo nimis ſolvit. (*d*) Quamvis enim Hippocrates, in hoc dolore lateris, & pulmoni affecto, ventris profluvium accedere, malum eſſe, affirmaverit, interdum tamen, ſi levior caſus eſt, utique cum concoctio metum detraxit, id prodeſt: (*e*) Neque etiam dejectiones, dum quidam, quos minus premit morbus, ſervantur, mortiferas, ſed malas eſſe putavit. Proprie τὸ κακὸν, ægrum plus periculi habere, ſignificat. Idque majus eſt, quo ſputa, quæ laterum dolores finire conſueverunt, orto alvi profluvio, minus excreentur. Igitur, ubi morbus jam increvit, coeperuntque ſputa prodire, ſatis oſtendit, ventrem non purgari oportere, primis vero quatuor, aut quinque diebus, ut dolor tolerabilis, & febres mitiores ſint, alvum ſubduci. Nam, ſi a quin-

(*a*) Huxham. obſ. aer. t. 1. p. 80. 81. 82. (*b*) Aretæus l. 1. de cauſ morb. acutor. c. 10. (*c*) v. Swieten. comm. t. 3. p. 25. (*d*) Sydenham. p. 262. 582. (*e*) Galen. comm. in aph. 6. 16. t. 9. p. 256.

quinto die multus humor deſcendit, ſuperiora ſicceſcunt, ſputatio deſinit, periculum certum eſt. (*a*) Alvus liquida ſemper quidem ſuſpecta, ſed antequam ſputa incipiunt, non adeo mala haberi debet: nonnunquam etiam, ubi copioſe expuerat aeger, febrim, quæ diutius inhærebat, ex toto diſcuſſit. (*b*) Proinde, ſi ſputa cito, & ex facili feruntur, alvum ducere, peſtiferum eſt: eam quoque, ſi quando vehementius vi morbi fluit, ſupprimere expedit. Contra, ſi tuſſis nihil extundit, & natura humores ad inteſtina citat, illuc, quo vergit, medicamentis, quæ ventrem molliunt, ducenda eſt. Aſperioribus tamen utendum non eſt, ne motu concitatiori aquea prorumpant. Dejectiones tantum client bilioſæ, ſputo flavo ſimiles, naturaliter morbum ſolvunt. At, ſi alvus ſine modo funditur, ſanguinis detractio, etiam cum repetitur, nullum affert periculum, ſæpe celeriter abſque medicamentis, quæ adſtringunt, ſatis ad valetudinem profuit. (*c*) Baglivius impetum ventris, dixit, prohiberi, in ſumma cute veſiculas excitando. (*d*) Trillerus id medicinæ genus invenit, quod bis, vel ter, non ſemper, reſponderit. (*e*)

At eos fortaſſe, qui ſæpe hunc morbum alvi profluvio ſolvi, nobis perſuadere volunt, fefellit dolor lateris cum febre, qui tamen πλευριτικὸς non eſt

(*a*) Hipp. l. 3. de morb. c. 14 ed. Mack. t. 2. p. 258. c. 15. p. 260. (*b*) Martian. comm. in aph. 6. 16. vid. Triller. de pleurit. p. 5. 72. 98. 109. 153. (*c*) Sydenham. p. 266. vid. Holler. in aph. citat. (*d*) prax. l. 1. c. 9 p. 37. de uſu & abuſu veſicant. c. 3. p. 596. (*e*) de pleurit. p. 54. vid. van Swieten. comm. t. 3. p. 46. 47.

eſt (*a*). Nam is, niſi os amarum, totiusque pectoris gravitas remanet (*b*), frequenti dejectione biliofa, & liquida finiri conſuevit (*c*), modica furorem minari (*d*). Atque a ſtomacho excitatur bile vitioſo (*e*). Huic levi dolori lateris, qui nihil ſignificat, ſive cibum averſetur æger ſive hypochondrium ſublatum habuerit, ſanguinis miſſio utilis non eſt (*f*). Licetque ſcire hunc caſum eſſe, ubi modo quidem tuſſis, modo ſpiritus difficultas ſubſequitur, non tamen febris acuta accedit, neque dolor vehemens loco inhæret, neque omnia ſigna acuti morbi, qui πλευριτικὸς nominatur, concurrunt (*g*). Maxime autem hiems capitis dolores, tuſſim, & quidquid in faucibus, in lateribus, in viſceribus mali contrahitur, irritat: & ſi a prima hieme auſtri ad ultimum ver continuarint, laterum dolores, & inſania febricitantium, quam Φρενῖτιν appellant, quam celerrime rapiunt: & ſæpe, eo tempore anni, ex ventre, ſuperioris partis mala increſcunt. Ideoque ſanguis, niſi ſemel id fit, male mittitur. Ungi enim, leniterque pertractari corpus oportet, multumque, inter hæc, adjuvare poſſunt, alvi ductio, & vomitus, & ea, quæ dolorem levant (*h*). Plurimis laterum quaſi dolores fomentum diſcuſſit, vel quælibet purgatio ex refrigerantibus (*i*). Siquidem

(*a*) Vid. Bagliv. prax. l. 1. c. 37. 38. (*b*) Coac. 43. ed. Mack. T. 1. p. 147. (*c*) Coac. 67. ib. (*d*) Coac. 411. ib. p. 174 (*e*) Martian. comm. in Coac. Hipp. in Coac. 43. 67. (*f*) Coac. 491. ib. p. 179. (*g*) Martian. comm. in Coac. 179. & Duret. comm. in Coac. cit. (*h*) Ballon. l. 1. epid. t. 1. p. 36. 52. (*i*) Id. l. 1. conſil. 97. p. 362. 363.

dem eos maxime movent dura præcordia, & ſtomachus vitiato humore impletus (*a*). Sed eſt circumſpecti quoque hominis videre, num in pectore aut in ventre ſedes ipſa ſit, ſi dolor circa ſeptum ſub coſtis, quas νόθας Græci nominant, eſt, idemque ad mammas & os pectoris procedit, quia curationem, ubi ſtomachum ſimul affici, & difficulter ſpiritum trahi queritur, levi medicamento recipit æger, aut ſuperveniente cholera aut orto alvi profluvio levatur (*b*) & tum demum ſanguinem mittere exigitur, ubi acutus dolor in ſummis partibus, circa claviculam, & ad jugulum conſiſtit, cum febre continua, vehementique, nec fotu minuitur, brachium ſtupet, ſiccaque tuſſis eſt, quæ nihil emolitur, & ingens ſpiritus difficultas (*c*). Remedium enim eſt, magni & recentis doloris, ſanguis miſſus. At ſive levior, ſive vetuſtior caſus eſt, vel ſupervacuum, vel ſerum id auxilium eſt.

## §. XII.

Solet etiam aliis malis inferiorum viſcerum ſæpe affici pectus. In jocinoris morbo, ἡπατικὸν Græci vocant, dextra parte, ſub præcordiis vehemens dolor eſt, idemque ad latus dextrum, & ad jugulum, humerumque ejusdem partis pervenit: nonnunquam manus quoque dextra torpet, horror validus eſt. Ubi male eſt, bilis evomitur interdum ſin-

(*a*) Id. l. 1. epid. t. 1. p. 64. 65. (*b*) Id. ib. p. 52 58.
(*c*) Duret in Coac. Hipp. p. 388. Bagliv. prax. med. p. 40 & ſeq.

ſingultus prope ſtrangulat. Lenis quoque tuſſis & crebra & ſicca oritur (*a*). Et hæc, quidem acuti morbi ſigna ſunt; longioris vero, ubi ſuppuratio in jocinore eſt, dolorque modo finitur, modo intenditur, dextra parte præcordia dura ſunt, & tument; poſt cibum major ſpiritus difficultas eſt; accedit membrorum quædam reſolutio. Ubi inveteravit malum, venter & crura, pedesque intumeſcunt: pectus, atque humeri, circaque jugulum utrumque extenuatur. Sæpe tuſſis quoque, propter ſtomachi vitium, moleſta eſt, quam nauſea, cibi faſtidium, ardor, & tuſſiendi deſiderium, juxta ejus regionem, ſatis oſtendit. In hac id, quod intus coacuit, aut computruit, ſupra aut infra ejiciendum eſt (*b*). Eaque, quæ pueros cum diſtentione nervorum occupat, vix, antequam pituita tenax evomitur, quieſcit. His recte ſanguis mittitur, neceſſarius modo ſemel, modo ter vel quater, poſt ſanguinis detractionem, vomitus eſt. Utilis frequens alvi ductio, reſtituendus deinde cibis, & medicamentis ſtomachus (*c*). Veſiculas etiam, pone aures, & ad claviculas excitare, non alienum eſt (*d*). Similiter, in vitio, quod ἄσθμα humidum vocant, propter anguſtias, per quas ſpiritus evadit, ſibilum

(*a*) Hippocr. de intern. affect. c. 29. ed. Mack. t. 2. p. 358. 359. Aretæus l. 2. de acutor. morb. cauſ. c. 7. Lommius obſ. med. l. 2. p. 186. (*b*) F. Hoffmann. med. rat. t. 6. p. 380. 390. (*c*) Sydenh. p. 311. 312. Huxham obſ. de aëre t. 1. p. 75. 76. t. 2. p. 166. 167. 16. 114. 115. 105. Eſſ. Edinburg. t. 1. art. 1. (*d*) Monro anat. nervo. Latin. p. 38.

lum elidit æger: dolor in pectore, præcordiisque eſt: interdum etiam in ſcapulis, isque modo decidit, modo revertitur: ad hæc tuſſicula accedit. Auxilium tamen non eſt in his, quæ pectori apta ſunt. Sed vomitus faciendus eſt, liquanda alvus, interdum etiam ducenda, quibus extenuatum corpus incipit ſpiritum trahere commodius. Sumenda deinde, quæcunque ſtomachum firmant, & in potum aqua, in qua contrita capparis radix ſit, aut vinum, tenue, auſterum (*a*).

Quicunque autem ſedem & nexum nervi intercoſtalis novit, ei facile cauſa conſortii, quod inter varias corporis partes eſt, apparebit; nam is cum ſecundo ramo quinti paris nervorum, fortaſſe etiam cum primo committitur; dein octavo & nono pari, cum e cranio progrediuntur, annexus eſt; mox, omnibus cervicis, eique, qui ab octavo recurrit, jungitur, rurſus eidem pari octavo, in regione, quam *καρδίαν* appellant, & in membrana, qua inteſtina connectuntur, ad imam ventriculi partem, implicitus, ad omnes nervos fertur, qui in lumbis, & circa os ſacrum, & coccygis poſiti ſunt (*b*).

## §. XIII.

Biliosa etiam, & leviter ſubcruenta, ante quartum diem, dejectio, in morbo, quem *ἡπατίτιδα* nomi-

(*a*) Bagliv. prax. med. p. 40. 104. 105. (*b*) Euſtach. t. 18. fig. 2. Tab. 19. Winſlow traité des nerfs. §. 357. not. ad Monro l. c. p. 60.

minari, modo dixi, ſæpe pro valetudine eſt, quamvis imperito medico periculoſa videatur: ſed ſi poſtea indicit, ſuppuratio timeri poteſt (*a*). Igitur, in initio ſanguinem mittere optimum eſt, tum venter ſolvendus eſt, maxime, ubi jam concocta materies alvo exire incipit, & inflammatio in ſimis jecoris partibus eſt (*b*). Imponenda extrinſecus cataplasmata, quæ diducant. Dandæ vero ſorbitiones, omnesque cibi, & qui non multum alunt, & fere, qui pulmonis acuto morbo conveniunt, præterque eos, qui urinam movent, potionesque ad id efficaces. Ubi vero febris vehementiſſime urget, actum eſt, hepar putreſcit, viridis cum ſanguine bilis erumpit, vivo adhuc magna fœditas odoris accedit, mortuo quaſi corpori. Vulgatiſſimum æque, ac inteſtinorum mala, jocinoris vitium eſt in India orientali: quo ſub dextris præcordiis durities & tumor, & ſenſus alicujus ibi quaſi gravis doloris eſt: & facile, ubi diutius manet morbus, inflammatio ſupervenit (*c*). Quod ad medicinam vero pertinet, optimum eſt, ventrem ſolvere per rheum, & caſſiæ vel tamarindorum pulpam (*d*). Inter notiſſimos in iisdem regionibus eſt etiam is, quem fluxum hepaticum vocant, isque longis annumeratur: quo ſanguis ſincerus profluit ita, ut modo minus periculi quam terroris ſit, modo æque, ac ipſa tormina timeri de-

(*a*) van Swieten comm. t. 3. p. 99. 139. 122. (*b*) Galen. comm. in l. Hippocr. de humor. t. 8. p. 516. (*c*) Bont. method. medend. Indor. c. 7. p. 71. (*d*) Id. ib. p. 72.

debeat: acceſſiones non tamen adeo graves ſunt (*a*). Medicamentum eo malo aptiſſimum dicunt id, quod croco extrahitur, & habet lacrymæ papaveris plurimum (*b*). Maxime exercitum, dum, humida tempeſtate anni 1638, urbem *Salvador* in Bahia ſitam, obſidione tentabat, fudit ejusmodi caſus: ſub quo neque torminibus ullum indicium, neque cura reſpondit, ſed, citra dolorem ſæpe ad finem morbi usque, purus ſanguis deſcendit, interdum concretus, nonnunquam aquæ ſimilis, ut in ea recens caro lota eſſe videatur (*c*).

Eos autem, quos regius morbus male habet, torminoſus ventris fluor, ſi cito deſinit, periculo ſubtrahit: ſi talis diutius permanet, hepar vitiatum eſſe teſtatur: quod, inter initia, integro viſcere, æque ac pulmo per aſperam arteriam, coctam inutilem materiem ad inteſtina, & alvum evocat, per bilis, & fortaſſe per ejus venæ itinera, quæ ſanguinem portæ modo transmittit: ideoque morbum arquatum rigor & ventris fluxus, qui ante ſeptimum diem oritur, levat (*d*). Quive ſexto die, ex febre ardenti huc deciderunt, ſæpe alvi profluvio liberantur (*e*). Cui etiam, ex terrore acutus dolor lateris erat, ei, quarto die, ubi in oculis, quod album eſſe debet, luteum fiebat, quinqies, cum levamine, venter dejecit & ad nonum usque ſolutus manſit: quarto decimo ſudores orti fuerunt, per totum cor-

(*a*) Ibid. c. 4. (*b*) Ib. p. 67. (*c*) G. Piſo de med. Braſil. l. 2. c. 15. p. 31. (*d*) v. Swieten comm t. 3. p. 138. 139. (*e*) Hipp. l. 1. epid. Charter. t. 9. p. 66.

corpus æquales (*a*). Hunc morbum Hippocrates ait, ſi poſt ſeptimum diem, febricitanti ægro ſupervenit, tutum eſſe, mollibus tantummodo præcordiis ſubſtantibus: atque in eo durum fieri jecur, perniciofiſſimum eſſe; Diocles ex toto, ſi poſt febrem oritur, etiam prodeſſe; ſi poſt hunc febris, occidere. Ergo, ſi purgatio fuit, poſt eam, modice cibum oportet aſſumere, ex media materia, & levi uti medicina, ut ventris ſolutio remaneat.

Interdum longus talis affectus in infantes circa primos dies, & dum ubera ducunt, incidit; interdum in ſeniores quoque, quibus pituita, aut ſpiſſa bilis præcordia gravat, quales cupidi litterarum ſunt: isque facile arte vel natura, per dejectiones effunditur: fereque, qui a graviditate eſt, partu, & expulſo ſtercore, terminatur (*b*).

## §. XIV.

At lienoſis quoque bono tormina ſunt, non longa: ubi inveteraverunt, nocent: & tum, ſi in lævitatem inteſtinorum, vel in aquam inter cutim converſa ſunt, vix ulla ſuccurrere medicina poteſt (*c*). Lienis enim durities torminibus ſolvi poteſt, ſed, ſi ſupra modum venter fluit, vires conſumuntur (*d*). Hippocrates lienoſos, & qui morbo regio la-

(*a*) v. Swieten. l. c. (*b*) v. Swieten. l. c. p. 128. (*c*) Hipp. aph. 6. 48. de morb. c. 4. ed. Mack. t. 2. p. 180. Coac. 466. ed. Mack. t. 1. p. 177. aphor. 6. 43. (*d*) Galen. in aph. 6. 43. t. 9. p. 276.

laborant, quibus quam maxime, ſub auctore Galeno, nigra educenda ſunt (*a*), medicamentis non purgari voluit, quia, quod alvum ducit, multo gravius periculum efficit; nihil prodeſt; ſpontaneas liberationes & judicationes, quæ morbum finiunt, turbat (*b*); vix ſuccis vel lacte, ejusque ſero, ſiquidem ſi lienis affectus eſt, medicina etiam minus vehemens ſumta multum extrahit. Sed in omnibus morbis, quibus venter ſolvendus non eſt, alvum lotione duci, aut glandes ſupponi debere, putavit (*c*). Adeo, ut mirum non ſit, Galenum (*d*) & Celſum purgationis, in hoc caſu, mentionem non feciſſe. Ipſe tamen, alio in loco, inter initia (*e*), lac aſininum, quo ventrem liquare ſolebant antiqui, concedit, ad heminas octo, melle affu-

(*a*) Comm. in Hipp. de victu acut t. 11. p. 179. (*b*) l. 4. de victu acut. ed. Mack. t. 2. p. 133.

(*c*) L. 2. de morb. c. 21. ed. Mack. t. 2. p. 235. Nam, ubi dixerat, quod ἐρυσίπελας ἐν πνεύμονι μάλιςα γίνεται ἐκ τῶν θωρηξίων, καὶ ἐκ τῶν κρεοφαγιέων, καὶ ἐξ ὕδατος μεταβολῆς ἴσχει δὲ καὶ ἄλλως. τοῦτον φάρμακον πιπίσκειν κάτω. καὶ μεταπιπίσκειν γάλα ὄνου, ἢν μὴ σπληνώδης ᾖ φύσει. Addit, quod interpretes, & qui eum explicare conati fuerunt, vehementer torſit. ἢν δὲ σπληνώδης ᾖ (nomen in codice Servini, hic non reperit Foeſius) μὴ καθαίρειν, μήτε χυλοῖσι μήτε γάλακτι μήτε ὀῤῥῷ, 'ΑΛΛ' 'ΟΤΙ' 'ΟΛΙ'ΓΟΝ 'ΕΣΕΛΘΩ'Ν. (vel, ſi mea opinio non eſt vana, omiſſa vocula ἀλλ, & mutata littera longa in brevem, ὅτι ὀλίγον ἐσελθὸν, ſc. φάρμακον) πολὺ ἐξάξει. ὑποκλύζειν δὲ τὰς κοιλίας καὶ βαλάνοις προστιθέναι, ἢν μὴ ἡ κοιλίη ὑποχωρέῃ ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι. Id, cum genio linguæ Hippocraticæ conveniat, quamvis hactenus auctoritatem codicum habere non noverim, in hoc loco tamen conjectura periclitandum credidi, ne ſenex ſibimet ipſe, repugnare, eodem momento, videatur. (*d*) De compoſ. med. l. 9. c. 2. Charter. vol. 13. p. 598 vid. Martian. comm. in Hipp. de victu acut. loc. citat. p. 288. (*e*) Martian. in Hipp. de intern. affect. 9. 159. 160.

affuſo (*a*). Igitur, cum in hoc morbo ea maxime proſunt, quæ per dejectiones excernuntur, quamvis interdum, ſed raro, urinæ profluvio ſanitas reddatur, quod non magis mirum eſt, quam quod nonnunquam in pulmonis morbo, & in laterum doloribus, humor ea parte profluat (*b*). Medicum ſimulac durus lien intumeſcit, extrinſecus ea, quæ extenuant, imponere oportet, deinde alvum liquedam reddere (*c*). Hic quoque lene rhabarbarum profuit (*d*). Aeque notus lienis morbus eſt in India, ac hepatis, & membranæ, quum μεσεντέριον vocant, ibique quaſi proprius; quo frequentiſſime Braſilienſes tentantur in valetudinariis. Iſque clam gliſcit, vulgus inops tantummodo vexat, non tamen occidit, niſi quando diu tractos, aqua inter cutem ſubſequitur, aut alter vetuſtus morbus redit. Sed facies & membra extenuantur, vires deficiunt, utraque parte præcordia dura ſunt: intus murmur, &, in intenta ambulatione, vel curſu ſpiritus quædam difficultas eſt. Ubi inveteravit malum, totum corpus cum pallore quodam inalbeſcit. Milites paſſim obambulant, inſtar cadaverum, vultu decolori & confecto, cibique deſiderio premuntur inſatiabili. Quicunque autem, ſingulari beneficio, malum effugit, ei dejectionibus bilioſis finivit: maxime, ſi ea deinde, quæ mollem alvum præſtant, ſumta fuerunt (*e*).

§. XIV.

(*a*) De intern. affection. c. 27. t 2. p. 356. (*b*) Holler. in aph. Hipp. 6. 43. (*c*) Mercurial. in aphor. citat. (*d*) Heurnius comm. in aphor. citat. (*e*) G. Piſo de medic. Braſilian. l. 2. p. 24.

## §. XV.

Alvus quoque ducta aliarum partium morbis, qui vix dejectionibus ſolvuntur, levat. Proinde, ſi renes affecti ſunt, oportet conquieſcere, cubare molliter, ſolvere alvum, ſi aliter non reſpondet, etiam ducere: nam ſi ea coacta eſt, laxius inteſtinum a ſtercore premitur, ſimûlque cum eo ren, præcipue ſiniſter (*a*). Urina autem copioſa, quæ ſeptimo, aut quarto decimo die, poſt concoctionem, proceſſit, & in qua craſſum ſubſidit, naturaliter morbum tollit; diluta & tenuis mala eſt (*b*). Fuſca tamen, potui, quem *Caffe* vocant, ſimilis, in renum, & veſicæ vitiis, ob brevius iter, minus periculi timendum eſſe teſtatur (*c*). Subita etiam ſanguinis profuſio, per ora venarum, quæ in ano ſunt, prodeſt. Itaque, ſæpe deſidere in aqua alida, præcipue expedit, neque cibûm, neque potionen frigidam aſſumere, abſtinere ab omnibus ſalſis, acribus, acidis, pomis; bibere liberaliter, ubi inflammatio remiſit adjicere modo cibo, modo potioni piper, porrum, ferulam, album papaver: quæ maxime inde urinam movere conſuerunt; ſi vero dolor tantum levandus eſt, quæ ei occurrunt, prudenter danda ſunt. Sed vitium in renibus his indiciis cognoſcitur: ſi urina craſſa, carunculas quasdam exiguas aut quaſi capillos habet, aut ſi bullat,

(*a*) Fr. Hoffmann. med. rat. t. 4. part. 1. s. 2. c. 8. p. 465. (*b*) Aet. tetrab. 4. ſerm. 11. c. 16. p. 270. (*c*) v. Swieten comm. t. 3. p. 233.

lat, aut male olet, aut interdum quaſi arenam, interdum quaſi ſanguinem trahit; dolent autem coxæ, quæque inter has, ſuperque pubem ſunt, & accidunt frequentes ructus, interdum vomitus bilioſus, extremæque partes frigeſcunt, urinæ crebra cupiditas, ſed magna difficultas eſt, & quod inde excretum eſt, aquæ ſimile, vel rufum, vel pallidum eſt, parum tamen in eo levamenti eſt, alvus vero cum multo ſpiritu redditur. At ſi paulatim deſtillat, vel ſi ſanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta ſunt, idque ipſum cum difficultate redditur, & circa pubem interiores partes dolent, in eadem veſica vitium eſt.

## §. XVI.

A viſceribus ad inteſtina veniendum eſt: primoque facienda mentio eſt choleræ: in qua protinus, ubi cœpit, aquæ tepidæ quamplurimum bibere oportet, & vomere: poteſt etiam dari juſculum tenue ex pullo (*a*). Malum autem, medicamentis alvum ducentibus, intenditur. Cum diſcuſſa cruditas eſt, tum confugiendum eſt ad vinum, ne anima deficiat vel quies facienda eſt: eaque ſola in tenella ætate ſufficit (*b*). Si poſt ſuppreſſam choleram febricula manet, alvum duci neceſſarium eſt, tum cibis, vinoque utendum eſt.

In morbo vero, qui in ipſius ventriculi porta conſiſtit, & κοιλιακὸς a Græcis nominatur, commodiſſimum eſt, inter initia, calida cataplasmata

toti

(*a*) Sydenham. p. 604. (*b*) Ib.

toti ventri imponere, ut dolorem leniant; poſt cibum vomere, atque ita ventrem exinanire: proximis deinde diebus cucurbitulas ſine ferro, ventri, & coxis admovere; ventrem ipſum liquare dato lacte, & vino ſalſo, frigido; ſi vetus vitium eſt, cibis & potionibus calidis uti; ex inferiori parte infundere aquam pluviatilem egelidam; maximeque ſi dolor in imis partibus remanet.

Sed ſi intra ipſa inteſtina inflammatio ſit, remedium eſt, ſanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admovere, non ubique cute inciſa: id enim duobus, aut tribus locis ſatis eſt: ex cæteris ſpiritum evocare, abunde eſt. Tum animadvertere oportet, quo loco malum ſit. Solet enim contra id tumere. Et, ſi ſupra umbilicum eſt, alvi ductio utilis non eſt. Si infra eſt, alvum ducere interdum, ut Eraſiſtrato placuit, optimum eſt: & ſæpe id auxilii in his partibus magnum remedium eſt. Ducitur autem percolato ptiſanæ cremore, cum oleo & melle ſic, ut præterea nihil adjiciatur. Si nihil tumet, duas manus imponere oportet, ſupra ſummum ventrem, paulatimque diducere; inveniatur enim mali locus; qui neceſſe eſt, renitatur: & ex eo demum deliberari poterit, ducenda nec ne alvus ſit. Illa communia ſunt: calida cataplasmata admovere, eaque imponere a mammis uſque ad inguina, & ſpinam, ac ſæpe mutare; brachia, cruraque perfricare; demittere totum hominem in calidum oleum. Si dolor non quieſcit, etiam in alvum ex parte inferiore tres, aut quatuor cyathos calidi olei dare.

At ubi laxius inteſtinum, in ea maxime parte, qua excernit, inflammatio afficit, quæ pro hæmorrhoidibus cœcis ſumi conſuevit, alvo bilioſa & ſubcruenta ſolvi poteſt. In conſtitutione etiam anni 1728, & 1730, acris materiæ ſubita dejectio coli & articulorum dolores multum levavit (*a*); venterque fuſus Dammoniis, quibus vehementes cruciatus in inteſtino pleniore erant, pro valetudine fuit, atque inde pueris, quos cita alvus plerumque exercet, morbus tolerabilior. (*b*) In hoc, a vomitu, frequens alvi ductio utique neceſſaria erat, interpoſito ſubinde papavere (*c*).

## §. XVII.

Ex his autem ſatis diſci poteſt, dejectiones, maxime in acutis petendas eſſe, ubi venter ſuppreſſus parum reddit, ex eoque inflationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt. (*d*) Sed medicamenta ſtomachum fere lædunt, & alvus, ſi vehementius fluit, aut ſæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo nunquam in adverſa valetudine medicamentum ejus rei cauſa recte datur, niſi ubi is morbus ſine febre eſt; purgationes enim pernicioſæ ſunt, ſi nimis valentibus medicamentis fiunt. Et qui per ea, inter initia morborum, inflammationes ſolvere conantur, ii de inflammata parte nihil detrahunt. (*e*) Ideoque,

(*a*) Huxham. de morbo col. Dammor. p. 12. (*b*) Ib. p. 9. (*c*) Ib. p. 32. (*d*) vid. Glaſſ. comm. 7. de febr. p. 84. (*e*) Hipp. de victu acutor. l. 4. ed. Mack. t. 2. p. 121.

que, ſi vehemens febris eſt, quæ alvum ducunt, non exhibenda ſunt; (*a*) ſiquidem omnia illa corpus vehementer movent & vires frangunt, quod in acutis, ubi peragitur coctio, utique vitandum eſt. (*b*) Sæpe inde gravia mala, maxime ſi natura ægri non cognita eſt, incidunt. Quidam enim difficulter, quidam a levi etiam medicamento copioſe moventur, quod ſi quis non novit, periculum eſt, ne aut nimium evocet, aut nihil; vel moveat quidem, ſed parum promoveat. Ab utraque re æger multum patitur: idque difficilius, quam ubi quis ſine febre eſt, reſtitui poteſt. (*c*)

Plerumque vero lenia, quæ abſque ulla vi aut noxa ſordes eiuunt, ſi alvus non reſpondet, quibusvis morbi temporibus prodeſſe conſuerunt, commodeque modo per os, modo per alvum injiciuntur. (*d*) Satiſque eſt his ipſis, quale rhabarbarum eſt, ventrem, ſi fieri poteſt, ſemel vel ad ſummum bis movere, nam amplius frequentes dejectiones, quæ concoctionem impediunt, inutiles ſunt. Plurimi nihil ſe effeciſſe opinantur, niſi ſæpe, & quotidie febricitantes alvum ſollicitant. Sed id periculoſe fit, nam inde virium ingens imbecillitas contrahitur: eamque, ut in aliis, maxime in continuis febribus, ſemper vereri oportet (*e*). Aptiſſime vero medicamentum eo die & ea hora datur, qua plurimum ſeſe febres remittunt, & qua corpus tam integrum eſt, quam maxime eſſe in eo genere

(*a*) De med. purgant. Charter. t. 10. p. 461. (*b*) Galen. comm. in Hipp. de victu acutor. t. 11. p. 144. (*c*) Id. ib. p. 45. (*d*) Lommius de curat. febr. p. 150. (*e*) Ib. l. c.

re valetudinis aſſuevit. (*a*) Tumque ipſis haud leve commodum ab hujuſmodi dejectionibus accidit, nam quæ coacta & fœtida ſunt, evocantur, ardor febrilis miteſcit, atque ſimul vitioſa bilis detrahitur. (*b*) Plerique, quia manna, caſſia, rheum nondum reperta fuerant, antiquos purgationem non utiliter potuiſſe ciere, contendunt. Sed alvum lotione ducebant, quod genus præſidii ſemper tutum eſt, fereque ſolum τῶν ἐκκοπροτικῶν nomen meretur: ſiquidem, integris viribus, alvi fæces attingit, eaſque incidit, diſſolvit, & deſidendi cupitate educit: idemque ſæpe craſſa ſtercora, quæ medicamentis ventrem moventibus liquantur, extrahit. Itaque, ubi urget caſus a clyſtere omnis purgatio incipere debet, quoniam dejectionis impedimenta tollit, viam parat, & expedit. Quin etiam pro varia, quæ ſumitur, materie, aut laxius inteſtinum, aut totus venter ſolvi poteſt. Immittenda in alvum eſt, ſi levi medicina contenti ſumus, pura aqua; ſi paulo valentiori, mulſa; ſi leni, aqua, in qua fœnum Græcum, vel ptiſana, vel malva decocta ſit: acris autem eſt marina aqua, vel alia, ſale adjecto: at utraque decocta commodior eſt. Acrior fit, adjecto vel oleo, vel nitro, vel melle quoque. Fereque eo modo, dempta materia, ſuperioribus partibus levatis, morbum ipſum mollit. Ubi autem ſublutione plane opus eſt, addenda acriora ſunt, euphorbium, cucurbitæ

(*a*) Ib. p. 152. (*b*) Ib. p. 151. Glaſſ. comm. 7. de febr. p. 84.

tæ agreſtis interanea, aut centaurii comæ. (*a*) Ipſe Aſclepiades, licet medicamenta ſuſtulerit, & purgationes, aptiſſima tamen moderatione, lotionibus non quidem ſæpe, ſed in omni fere morbo, ſemel vel bis alvum ſubduxit.

Certe omnes antiqui, multiplici experientia inſignes, ſæpiſſime hanc medendi viam ingreſſi ſunt: eamque in plurimis morbis ſecutus eſt Galenus, præcipue ad alvum conſtrictam, qua multa mala inſurgunt, ſolvendam. (*b*) Et, quamvis Hippocrates in vehementibus febribus alvum moventia vetet, eam tamen, ſi opus eſt, lotione duci conceſſit. (*c*) Peſſimas etiam dejectiones, ob bilis æſtum, ubi ſummus naſcitur ardor, medicamentis excitari, dixit; atque tempore æſtivo, in vicem eorum, lotiones præcepit; omniaque, quæ alvum vehementer movent, quoniam ſimile diſcrimen, ac in valida febre, vereri oportet, ſuſtulit a canis ortu, quinquaginta dierum ſpatio. (*d*) Similiterque, in laterum dolore, ſi alvum ducendi neceſſitas eſt, conſulit, ventrem mollire, infuſis in eum ſubducentibus, & refrigerantibus, hoc eſt, leni clyſtere: quo modo cuivis dolori, in ea parte, ſuccurritur (*e*). Id auxilium quoque, quovis tempore, inter febres vehementes, & harum etiam acceſſiones, & protinus inter initia, & circa eos dies, quibus judicari, & concocta excernere in-

(*a*) Aretæus l. 1. de curat. morb. acut. c. 4. Ib. l. 2. c. 1. (*b*) De clyſter. t. 13. p. 1013. (*c*) de med. purg. Charter. t. 10. p. 461. (*d*) Ib. (*e*) de affection. c. 3. ed. Mack. t. 2. p. 303.

incipit æger, tuto ſemper adhiberi poſſe, ſatis docuit, cum dicat, quarto demum die, in laterum morbo, ſi dolor ſub thorace eſt, purgandum, verum, per tres primos dies, alvum ſubluendam eſſe; (*a*) idque etiam in pulmone aut pectore affecto, ubi ſanguis miſſus eſt, ita ſervandum eſſe (*b*). Denique in febribus quoque, in quibus tenuis urina, inter initia, fertur, protinus ventrem lotione ſubduxit, non vero medicamenta dedit, ne cruditas in urina maneret, & febris diu citra ſudorem, abſque judicatione, protraheretur. (*c*) Eademque ratione Aretæus Cappadox, in pulmonum & laterum morbo, in difficultate ſpirandi, in uvæ, & renum inflammatione, in volvulo, ventrem compreſſum ſolvit. (*d*) Et Boerhaave ubique alvi lotionem acute febricitanti propoſuit.

Solet etiam glans, aut balanus ſubditus, mole aut aſperitate anum vellicando, deſidendi cupiditatem inferre; atque adeo ventrem movere, clyſtere tamen longe ignavius. Eoque remedii genere antiqui etiam uſi fuerunt & interdum levi quoque medicina, ſicut ſerum lactis eſt: erantque valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio conveniebat, præcipue quidem aſinæ, ſi id non aderat, capræ. (*e*) Nam, ubi febres ſunt, ſatis eſſe putabant, ejus rei cauſa cibos, potioneſque adſumere,

qui

(*a*) L. 4. de victu acutor. ed. Mack. t. 2. p. 128. (*b*) Ibid. (*c*) Ibid. p. 124. vid. ib. p. 120. 122. 123. 125. (*d*) de morb. acutor. curat. l. 2. c. 1. ib. l. 1. c. 1. ib. c. 7. ib. l. 2. c. 7. l. 1. c. 8. l. 2. c. 8. (*e*) Hipp. de victu acut. ed. Mack. t. 1. p. 121. Aretæus de curat. morb. diut. l. 1. c. 13.

qui ſimul & alunt, & ventrem molliunt, quoniam præſtat, in his vim medicamenti ineſſe, (*a*) ut cum victu remedium quoque adhibeatur, fortaſſe etiam cum quadam voluptate. (*b*) Quam ob cauſam Galenus, ſi ventris purgatio neceſſaria erat, ſcammoneum melius braſſica habuit, ubi vero alvus tantummodo ſubduci debet, braſſicæ jus præpoſuit. (*c*) Ac Aretæus Cappadox, qui nihil ab Hippocrate deflexit, medicamenta, nec varia, nec multiplicia, in peracutis affectibus adhibuit, ægrotantium ratus optimam medelam ex victu peti: ideoque, ad volvulum, juſcula gallinarum, oſtreorum, & ejus generis plura, alvum ducentia præſcripſit (*d*); & in laterum dolore, ptiſanam propinavit, in cremorem percolatam, ſolo melle conditam. Vulgatiſſima vero remedia ad voluptatem, varietatemque parandam, quia ſolus cremor ſatis erat, amovit, ſiquidem humectare pituitam, eamque commode excreare, & quæcumque evocanda ſunt, evocare, facile quoque ventrem ducere, ſola ptiſana poteſt (*e*).

(*a*) Hipp. de alimento ed. Mack. t. 2. p. 91. (*b*) Galen. comm. in l. Hipp. de alimento Charter. t. 6. p. 275. (*c*) Ibid. (*d*) l. 2. de curat. morb. acut. c. 5. (*e*) de curat. morb. acut. l. 1. c. 10.

# CAPUT XV.

*De cauſa proxima ventris fluxus*

A materia profluvii varia, quam ex quibuſvis corporis locis, in ventrem ferri vidimus, ad cauſas tranſeundum eſt, & inprimis ad proximam veniendum, ex qua frequens dejectio oritur. Ejus hæc conditio eſt. Si vis, qua humores in inteſtina pelluntur, increvit, liquida copioſius deſcendunt: nam alias profuſiones ſuppreſſas ſubſequitur ventris fluxus, ſudore vel per urinas, iterum ſiſtendus. Si vero etiam a nimia purgatione is incidit, aptiſſimum eſt, materiæ curſum, ad alias, quaſcunque partes, avertere. Item, ſi ſanguis abundat, proximum eſt, ut profluvium ſanguinis per alvum fiat, alia profuſione cohibita; &, ſi ſumma cutis adſtringitur, venter mucoſa reddit.

Non tamen liquida alvus ab hac vi tantummodo pendet. Nam, ſi humores, qui in inteſtina ſe contulerunt, venis bibulis reſorbentur, venter ſiccus manet. Interdum is, qui matutino tempore aquæ Spadanæ libras decem, vel amplius ſumſit, ne guttam quidam alvo dimittit: & ſæpe, qui fontes ſalubres petunt, pluribus diebus, nihil dejiciunt. Sub quo caſu, vires, quæ inteſtina adſtringunt, potus elapſum, per inferiora, coërcent, ſereque humores repellunt verſus oſtia vaſorum lacteorum, & in venas, quæ ſub medio inteſtino poſitæ ſunt.

At,

At, ſi eodem tempore, quo major fluxus fit, tenendi quid inteſtinis parva vis eſt, aſſumta, vel quæ aliorſum huc ruunt, protinus tranſeunt, &, quaſi ſpiritus motu, expelli videntur. Profecto veri ſimile non eſt, ex vehementi contractione ventriculi & inteſtinorum (ut nonnulli volunt) lævitatem qua quicquid aſſumtum eſt inconfectum protinus redditur, oriri; ſiquidem valvulæ, ſive juga, quibus inteſtina in ſinus implicita ſunt, eo magis increſcunt, quo arctius tergora conſtringuntur. Et, qui athletice vivunt, cibos concoquunt, & celerius, & melius. Ipſis autem faex dura eſt, levis, pauca; hique valida perſpiratione gaudent. ubi vero contractilis vis minuitur, a ſpiritu, qui intus eſt, inflatio fit: atque inteſtina jam minus ſinuata, quod acceperunt, protinus in inferiores partes transmittunt. Ideoque is morbus jure λειεντέρια, vel inteſtinorum lævitas nominatur. Et cum, ubi in longinquum id vitium eſt, ructus acidus, qui prius non fuit, ſi accedit, inter bona indicia ſit, inteſtina antea vehementer reſoluta, jam ad conſuetudinem ſuam redire videntur, cibique tam diu a ventriculo, donec aceſcant, contineri. Nam in torminibus quoque, ſi extremam alvum ſpiritus ſequitur, ſæpe metum detrahit (*a*) nonnunquam tamen illud nihil ſignificat (*b*). In affectione autem, quam cœliacam vocant, ſtomachus videtur ſatis validus, ſed inteſtina nimis laxa. Atque etiam,

(*a*) Bagliv. l. 1. prax. med. p. 111. Diemerbroeck obſ. med. 28. p. 30. (*b*) Degner. dyſent. Neomag. p. 25.

tiam, ſi initia vaſorum, quæ lac inſugunt, clauſa ſunt, ſimilis ventris fluor oritur. Ubi ulcera, quas ἄφθας nunc appellant, eas partes obſident, corpus non alitur, & quicquid aſſumtum eſt, inteſtina tranſit. Deinde vero, ubi cruſtæ deciderunt, major ſalivæ, & ventris fluxus ægros exercet, relaxatis vaſis. Illud quoque noſſe oportet, quod ex glandulis ſub medio inteſtino induratis, fluorem hunc ortum fuiſſe, corpora mortuorum inciſa demonſtrent. (*a*) Sæpe, in Indiis homines extabeſcunt, ſine manifeſta cauſa; febris nulla adeſt, vel mitiſſima; vix dolent; gravitatis cujuſdam tantummodo ſenſus eſt juxta umbilicum, & in præcordiis. Is morbus ex tacita viſcerum duritie oritur, maximeque ejus, qod μεσεντέριον vocant. Idque modo ſuppuratur, modo in totum conſumitur: ad hæc inteſtina nullo ordine inter ſe cohærent, tenuibus pelliculis adnatis. Cibos viro æger valide appetit, quos inconfectos alvo rejicit, longoque tempore, mirum in modum extenuatus, tollitur. (*b*) Solet autem acre, quod inteſtina vellicat, humoreſque exprimit, ad cauſam profluvii referri, ſi & ora venularum, quæ in mediis inteſtinis hiant, & vaſa lactea parum tranſmittunt. Eademque materies, quæ leviori dejectione fertur, ubi acrior fit, tormina excitare conſuevit. Itemque ob alcali ſpontaneum billioſa deſcendunt, & ab acido infantum fœces virideſcunt. Ex quibus quia quam

(*a*) Diemerbroeck. anat. l. 1. c. 9. p. 40. (*b*) Bontius med. Indor. c. 11. p. 80.

quammaxime inteſtina conſtringi videntur, fortaſſe quis dicet, male reſolutionem nonnunquam pro cauſa apprehendi. Verum ſi vaſa inteſtinorum, quæ humores abſorbent, adſtricta ſunt, liquida, ad inteſtina delata, excerni debere videntur, trahendo ſpiritum. Ipſaque natura ſibi cavet, ne acria corpus ſubeant, & facile ab his contrahuntur ſphincteruli, qui initia vaſculorum lacteorum cingunt, & tuta cuſtodia limen ſervare nituntur. Quam ob cauſam, duris, acutis, vel acerbis cibis ſumtis, corpus non læditur, ſiquidem janitores iſti fideles, non decipiendi, ſimulac inſoliti quid ſentiunt, mox ſe claudere norunt, motumque ſuſcitant, quo liquida, quæ acrimoniam tollunt, in auxilium vocari poſſint. Neque dubitari poteſt, quin inteſtinorum arteriolæ, ubi ab acribus vellicantur, humores copioſius effundant, nam oculi, ſi arena illabitur, nictitant, contrahuntur palpebræ, atque acria quævis lacrymas movent. Nec datur homini, ut hoc naturæ conamen avertat. Et, quæ ſternutationem cient, ſimul quoque multum pituitæ eliciunt, qua id, quod rodit, expellatur. Et, ſi quid inſuetum in pulmones incidit, frequens tuſſis id ſæpe extundit.

Sed, quamvis hæc acria alvum moveant, irritando vires inteſtinorum contrahentes, tamen exinde non intelligi poteſt, cur a medicamentis venter dejiciat, ſiquidem acerrima, quale eſt Mercurius ſublimatus, inteſtina hinc inde conſtringunt, & rigor inteſtinorum flatus, & murmura facit. A-

loe

loë autem, utut fortiter purgat, nervis amiciſſimum eſt. Sed aromata, piper, cinnamomum & ſimilia, fereque acida omnia, & maxime vitrioli oleum, ventrem ſupprimunt, cum plane acria ſint, nec venis reſorberi queant. Contra evacuationes ſuppreſſæ, ubi id evenit a nervoſarum membranarum irritatione, per ea, quæ dolorem levant, curantur, rigore ſoluto. Nam lacrymæ papaveris modo alvum, modo urinam movent; ac ſæpe calculos renum, vel ex inteſtinis lapides dimittunt. Si vero venter indureſcit, dolorque ejus eſt, commodiſſimum eſt, inter initia, calida cataplasmata toti ventri imponere, & ea, quæ dolorem & rigores leniunt, aſſumere: dein ventrem ipſum liquare, dato lacte, & levi purgatione, niſi is jam ante, uti ſæpe fit, contenta ſponte reddidit (*a*).

Ea quoque, quæ ἀνώδυνα vocant, hunc in finem, purgantibus optime junguntur. Neque hercule illa curatio nova eſt, ſiquidem apud Galenum paſtillus deſcribitur, qui habet ſucci plantaginis dr. x. aloës Indicæ dr. I. maſtichis dr. I. croci obolos II. opii obolos III. caſtorei obolos III. myrrhæ dr. I. Dabaturque ad magnitudinem ciceris (*b*). Quinetiam Hippocrates potionem ex peplio, meconide, & grano Cnidio commendat, ad purgandum. (*c*) Sæpe Riverius quoque ejusmodi remediis, quibus primo coli dolor diſcutitur,

(*a*) Bohnius offic. med. p. 360. (*b*) Galen. l. 8 de compos. medic. ſecund. locos. c. 2. Charter. t. 13. p. 565. 566. (*c*) de intern. affect. c. 10. ed. Mack. t. 2. p. 336.

tur, dein alvus ſolvitur, uſus eſt (*a*). Et ad idem malum Hollerius medicamenta dedit, quæ ſimul & purgant, & dolores leniunt (*b*). Maximeque levant, ſub auctore Hofmanno, graves inteſtinorum dolores, qui ab inflationibus oriuntur, pilulæ purgantes, quibus parum papaveris adjicitur (*c*). Quondam etiam Empiricus aloën & helleborum, cum ſucco papaveris, miſcuit: hisque magnam ſibi famam fecit. Et ſolebant laudari, quæ his ſimiles ſunt, Rheumelii pilulæ (*d*).

Præter hæc, ubi purgantia extrinſecus corpori admoventur, ea venis recepta, alvum ducunt, minime tamen corpus erodunt, neque ullum dolorem loco, cui applicantur, excitant. Si unguenta, quæ Aetius (*e*) memorat, abdomini illinuntur, venter ſolvitur. Ἐπομφάλια Græci vocant. Ea formidoloſis, qui neque nomen purgationis audire ſuſtinent, maxime utilia ſunt, & delicatulis. Quale etiam eſt unguentum Arthanitæ, quod Alexander reperiſſe dicitur (*f*). Id adhuc ſatis frequens uti ſolet, ventrique inungitur: Nam oportet, cum molliter alvum ſubducat, eo latas partes ſæpius perfricare, quod ſupra ventrem amplum commodius fit, quam in manu, aut carpo multo minoribus.

(*a*) Prax. l. 10. c. 1. 2. cent. 1. obſ. 63. cent. 2. obſ. 1. Etmuller. oper. t. 1. p. 355. (*b*) L. 1 de Morb. intern. c. 41. p. 315. (*c*) Med. rat. t. 4. part. 2. p. 336. (*d*) Pechlin. l. 2. obſ. 62. p. 363. vid. Martian. in Hipp. p. 190. 287. (*e*) Tetrab. 1. ſerm. 3. c. 135. 136 Tetrab. 3. ſerm. 4. c. 27. Paulus Ægin. l. 7. c. 9. Actuar. de method. med. l. 5. c. 9. 10. (*f*) Meſue de ſimplic. c. 26. p. 77. b. p. 78. a.

bus. At id quoque, propter tumores, ſupra femora unctum, poſt varia faſtidia alvum movit (*a*).

Sunt etiam quædam emplaſtra, quæ purgandi vim habent, quale eſt Plateri, quod ex cocco Gnidio cum cera miſto conſtat (*b*). Ejus generis quoque eſt emplaſtrum Martini, quo venter per aliquot dies ſolutus manet (*c*). Regi vero Daniæ alvus mota eſt, ponendo ſuper umbilicum id, quod fit ex Arthanita, & oleo diocolocynthidis quercino (*d*).

Dejectiones autem antiqui medicamentis pedes liniendo, vel decocto hellebori lavando moliebantur. Rurſus, alii ventrem liquidum reddunt, ſi pilam purgantem manu fovent, vel ſi unguento volam inungunt. Fuitque Piſis ſacerdos, qui a catapotio, quod cum ſaliva ſubactum, injecta faſcia, circa ſtomachum admoverat, intra 5 vel 6 horas, multam materiem, ac ſi pilulas devoraſſet, excrevit. Et id quidem eodem modo per biennium, obſervatum fuit (*e*). Pueris quoque & mulieribus unctiones, ſupra umbilicum, fiunt, quibus interdum alvus æque cita evadit, ac ſi medicamentum intus fuiſſet ſumtum. At ſi Mercurio corpus linitur, ſaliva per os, vel ex inteſtinis elici poteſt.

Itemque purgantis ſolutio in venas transfuſa ſæpe

(*a*) Pechlin. de purg. c. 30. p. 408. (*b*) Prax. t. 2. c. 13. (*c*) Eſſ. of catharticq. medic. p. 165. (*d*) Act. Hafniens. vol. 1. p. 72. vid. miſcell. N. C. dec. 1. ann. 6 & 7. app. p. 20. Pharmacop. Wurtenburg. p. 196. (*e*) vid. Actuar. l. c. Fallopp. de med. purg. c. 11. p. 428. c. 27. p. 525. Boyle de poroſitat. animal. c. 3.

ſæpe ventrem reſolvit. Quod auxilium in canibus antea inſtitutum (*a*). Medicus Gedanenſis, circumſpecto curſu, non ſolum homines tolerare poſſe oſtendit, ſed conclamatos jam dudum mortales, una purgantis in medianam infuſione, reſtituit, in fraudem Aeſculapii (*b*). Sic militi, cui in eam venam lene medicamentum ex alvum ſubducentibus, ad drachmas duas circiter, per ſiphonem infuderat, interpoſitis quatuor horis, ſine gravi moleſtia, dejectio orta fuit, quam in proximum diem usque, quatuor, non leves, ſubſequebantur. Indeque mulieri, poſt aliquot horas, alvus modice ſoluta fuit: & virgo eodem die, quo infuſum erat, quatuor, & poſtridie quasdam etiam dejectiones habuit. Omnes vero, mox ab infuſione, frequens & vehemens vomitus prehendit (*c*). Eamque medendi viam jam prius ab Anglis tentatam invenio, qui collo veſicæ, quam purgante ſolutione repleverant, ſiphonem ex ære conflatum aptabant, quo liquor, ſenſim comprimendo veſicam, ſtillaret, in venam apertam, eoque artificio, alvum, cum alias medicamentum in ventre cunctetur, intra horam unam, alteramve ſubducebant (*d*).

Sed purgationes quoque, quæ ore ſumuntur, ip-

(*a*) Vid. Schenck in epiſt. ad Daniel. Major. chirurg. in fuſ. p. 79. Scultet. armamentar. chir. in append. (*b*) Pechlin. de purg. c. 30. p. 409. (*c*) Oldenburg. act. philoſoph. anni. 1667. menſ. decemb. (*d*) Pechlin. de purg. l. c. phil. tranſ. No. 30. Boyle the uſu fulneſſ of experiment. philoſoph. l. 11. p. 53. 54. Caſp. Schott. mag. natural. c. 1. prop. 33. Sachs ocean. macrocosm. §. 155.

ipſo ſanguinis curſu rapi conſuerunt. Mutatus a quibusdam color, & odor urinæ, indices ſunt. Lac etiam nutricis medicatum infantem purgat. Nam, ſi vel mulier, vel capra, elaterio, aut cucumere agreſti veſcuntur, puerulos cita alvus exercet (*a*). Neque vero in cucumere aut elaterio tantummodo ea vis eſt, ſed etiam in quibusvis fere medicamentis, quæ alvum movent; ſiquidem ex tithymalo vel ſcammonei germinibus, quibus verno tempore paſcuntur capræ, lac purgandi vim acquirit; & id ſatis cito, nonnunquam intra horam. Illud quoque mirari oportet, quod omnes nutrices uno ore teſtantur, infantem, ſi protinus, ſumto a nutrice medicamento, mammis admovetur, cunctaque exſugit, certo expurgatum iri, nutrice intacta; at, ſi is lactationem mediam abrumpit, nutricem æque, ac alumnum purgari, eo tamen cum diſcrimine, quod longe citius infans, quam nutrix dejiciat (*b*). Idque interdum a tenellis vehementer fit. Puella anniculo, cui ſtatim mater, epoto medicamento mammam porrexit, nimiæ purgationis periculum incidit. Sibi vero ne ſemel quidem alvus ſubducta eſt (*c*). Sed, cum ſæpe non conveniat, nutrici ſanæ, in pueri gratiam, medicamentum forte, quale elaterium eſt, dare, neque ſemper leviora hanc vim lacti impertiant, interdum ſatius eſt, capræ quid ſimile offerre, ejusque lac, puero ad

(*a*) Hipp. epidem. l. 6. Charter. t. 9. p. 537. Galen. ib.
(*b*) Pechlin. de purg. c. 30. p. 404. (*c*) Martian. comm. in Hipp. de natur. pueri p. 30.

ad purgandum, propinare (*a*). Facile autem vires eorum, quæ ſumta ſunt in ipſa lactis materie, deteguntur, ex colore, & odore. Ac ſapor quoque inde mutatur. Gravida, quæ quotidie guttas triginta extracti abſynthii hauſerat, a partu, lac, e mammillis expreſſum, fellis ad inſtar amarum habuit (*b*). Ergo imbecilliſſimis opus eſt, nutriri lacte fæminæ ſanæ & vegetæ, vel, quod huic proximum eſt, aſinæ, quæ cibis boni ſucci aluntur. Atque ex his ipſis, lactis proprietates noſſe oportet minime ex craſſitie, & pinguedine ejus. Ideoque lac, qnod in Tabiis habetur, ad ulcera aſperæ arteriæ laudant præ cæteris, quod locus ſit ſatis editus, & aër ſiccus; ipſaque paſcua herbas producant ſalubres, agreſtem lotum, & ſimilia. Id alibi quoque arte imitari poteſt, ſi quis, in colle edito, herbas fruticesque ſerit, quæ ſalubriter lac adſtringunt (*c*). Prodeſt etiam adverſus fluxum cœliacum lac ex agreſti paſtu perfectum dare, maximeque e capra, quæ lentiſco, vel myrti foliis, nutrita fuit. Tradunt enim herbæ, quæ conſtringunt, hanc facultatem lacti; ſcammonei vero, & hellebori, ut modo dixi, contraria vis eſt (*d*). Quinetiam animalia, ubi ex ſtabulis in prata ducuntur, a recenti gramine frequentius dejicere ſolent, atque eorum lac, alvum mollit.

Effectus quoque, quos uſus purgantum inſequitur,

(*a*) Martian. in Hipp. epid. l. 6 p. 245. (*b*) Bartholin. act. Haſn. cent. 2. obſ. 62. p. 165. (*c*) Galen. l. 5. method. med. Charter. t. 10. p. 123. (*d*) Cæl. Aurelian. morb. chron. l. 4 c. 3. p. 513.

tur, ſatis oſtendit, ea ſanguini miſceri: nam & mitiſſima cathartica tumultuoſum impetum faciunt & ad unum omnia, quæ ſub hoc nomine veniunt, naturæ ſunt inimica, adeo ut ipſum habitum corporis mutent. Empyricus pulverem catharticum, in quo Mercurius eſſe videbatur, duobus fratribus dedit. Alter centies ad minimum, cum torminibus deſidendo, intra duos dies, ſe exhauſit. Alter, ætate paulo major, nihil quidem excrevit. Verum capilli ejus, poſt paucos deis, fluere, & ungues liveſcere cœperunt; brevique puſtulæ aquoſæ circa totum corpus eruperunt, quibus continuo in cruſtoſam ſcabiem induratis, & ſubinde deciduis, mox novæ repullularunt. Idque malum, antequam tolli potuit, miſellum vexavit, ultra biennium (*a*). Neque ſolum a Mercuriali purgatione ea incidunt, ſed etiam interdum iis, quæ ex herbis eliciuntur, ſanguis ita vitiatur, ut vix longo tempore bonus reddi queat. Fereque id, quod per medicamenta, quæ alvum ſubducunt, evocatur, non eſt humor corruptus, ſed mera putrilago, & liquamen, per ipſum virus medicamenti, tabefactum. Helmontius, cum ob ſcabiem contagio ſusceptam alvum pilulis molirentur medici, fœtidum liquorum copioſe excerni lætatus, ſæpe, ex eorum conſilio, in his remedium quæſivit, donec in totum duas facile ſitulas impleviſſet, liquore, ut putabat, putrido, putidoque. Nam, qui antea ſanus, & ala-

cer

(*a*) Willis de medicam. operat. s. 3. c. 1. p. 37. 39. 45. Bellin de ſang. miſſion. p. 199.

cer integris viribus, ac levis in ſaltu curſuque erat, jam ſumma macie extenuatus, titubante pede, genisque collapſis, vocem raucam edebat. Proinde, cum tantæ farragini, neque in capite locus eſſet, neque ei in pectore aut ventre ſpatium daretur, concluſit, iſtos humores non latuiſſe aut præextitiſſe in corpore, ſed putridum liquamen purgatione factum fuiſſe: idemque, quoties pilulas devorant, eventurum eſſe. Unde cognovit, ea, quæ purgantia vocantur, quod vividam ſui corporis ſubſtantiam liquaſſent, & in putrilaginem reſolviſſent, non purgare aut mundare, ſed putrefacere (*a*). Atque crebra alvi ductione æque ſanus ac æger liquamina dejiciunt, quorum conditio, quoad odorem & colorem, eadem eſt. Quam ob cauſam pravi humores non magis, quam quibus nullum vitium ineſt, educi videntur: ſed promiſcue medicamentum, quicquid attingit, contaminat.

Etiam, ſi qua inflammatio orta eſt, demitur copia & impetus liquorum, dejectione, & hac ratione purgatio ſanguinis detractionem quodam modo ſupplet. Melius tamen, ſi copia ſui male habet, vena inciſa ſuccurritur: nam & leniora tarde materiam evocant, & a valentioribus medicamentis, ut ſupra dixi, humores nimium moventur. Cavendum autem eſt, ne venæ, ubi plenæ tu-

(*a*) Helmont. de febrib. cap. 5 § 9. 10. 11. 13. 15. 22. ſcabies & ulcer. Scholar. §. 3. 4. 5. 6. Bellin. de ſang. miſſion. p. 215.

tument, concitentur. Igitur, ſi ſanguis abundat, audacter detrahendus eſt. Deinde ducere alvum oportet. Quod ſi vero quis propter ætatem, vel victum, detractionem ejusmodi non ſuſtinet, huic dejicienda largius alvus eſt (*a*) per ea, quæ, licet minus acria ſint, ventrem tamen multum liquant. Denique illud conſiderari oportet, quod plerisque præter communem purgandi vim, ſingularis quædum proprietas inſit, qua unam corporis partem præ alia magis afficiunt. Maxime enim, quæ e colocynthide conſtant, tormina facere conſueverunt, & ſi copioſius ſumuntur, ſanguinem ſive per anum, ſive etiam per alias vias fundunt, aperiendo vaſa. Ora etiam venarum, quæ in ano ſunt, ab aloë, etiamſi is longe mitior ſit, irritari, ſupra dixi. Helleborus autem, maxime albus id habet vitii, quod fauces infeſtat, & ſpiritum difficilem reddit. Elaterium vero vim ſuam præcipue in tunicas arteriarum evibrat; atque ab eo pulſus fit celer, febrili non diſſimilis, ejusque ope aqua, quæ inter cutim eſt, per alvum educitur. At ea, quibus ſcammoneum, & gummi gutta miſcentur, corpus infirmant, fereque ſtomachum lædunt. Facile etiam a cataputiæ ſeminibus funeſta inflammatio ventriculi oritur. Neque raro inteſtina verti videntur, nervique reſolvi, ſumta reſina, quæ e radice jalappæ elicitur, atque hæc quoque hydropicis utilis eſt (*b*). Ex reliquis vero, ubi aut cruditas

(*a*) Galen. l. 4. de ſanitat. tuend. t. 6. p. 122. (*b*) F. Hoffman. med. rat. t. 2. p. 248.

ditas fœtida ægrum male habet, aut febris ardens extorret, potiſſime eliguntur tamarindi, præcipueque rheum confert ad fluorum ventris. Optime etiam proſunt adverſus pectoris morbos manna, & renum ubi affectus eſt, caſſiæ pulpa (*a*).

Ergo proprietatem eorum, qua ventrem ſolvunt, non ſubjicit evidens ſtimulus. Sed aliæ quoque res ſunt, quæ ſi aſſumuntur vel corpori applicantur, venis bibulis abſorberi, vitæque viribus agitari videntur, donec tandem lædant functiones cujusdum partis, reliquis quaſi intactis. Id de Mercurio verum eſſe, ſupra oſtendi. Aëtius autem, unguentis ſupra ſtomachum inlitis, vomitum excitavit (*b*). Et Fernelio quoque authore, medicamenta generis ejusdem extrinſecus ventri fuere admota (*c*). Juvenis etiam Edenburgi, cataplasmate, quod ſenecionem recipiebat, circa ventriculum impoſito, ægros, die lucido, vomere coëgit, eoque febres intermittentes ſanavit (*d*). Valensque ad præcordiorum duritiem fuit id, quod fit ex tabaci foliis aceto contritis (*e*). Atque ea, quomodocumque adhibentur, vomitum ingentem movent. Firmus juvenis, cum torminibus tentaretur, neque, præ avaritia, medici conſilium peteret, ubi alios in principio morbi purgari viderat, ſumſit tabaci minutim inciſi unciam ſemis; idque per noctem cereviſia tenui maceratum, poſtero die, coxit, & co-

(*a*) Rega method. medend. part. 3. c. 5. p. 440. (*b*) Tetrab. 1. ſerm. 3. c. 135. Oribaſ. medic. collect l. 8. c. 47. (*c*) Method. med. l. 3. c. 6. p. 68. (*d*) Eſſ. Edinburg. t. 2. art. 5. (*e*) Ibid.

colaturam expreſſam, unico hauſtu, ebibit. Atque eo ſolo remedio morbum penitus expugnavit, orta poſt ſummas anxietates vehementi vomitu & purgatione. Duos quoque ruſticos hoc morbo implicitos, referunt, eodem modo fuiſſe ſanatos (*a*). At inſuetis ipſe ſuffitus tabaci vomendo ventrem purgat. Idemque præſtat fotus vel linimentum ex ſucco aut decocto ejus, capiti inunctum (*b*). Sæpe, ſi caput lavatur tinctura nicotianæ, qua vulgus pediculos necat & fœdam ſcabiem tollit, puer titubat, vomituque corripitur. Et tres filiolæ, quorum capitibus, adverſus eadem mala, pulvis tabaci vulgaris ex butyro ſubactus illinebatur, vehementer, viginti quatuor horis, vomuerunt (*c*). Quotiesque hæc herba contrita, quam vulnerariam vocant, vulneri inſperſa fuit, toties vomitum movit (*d*). At idem effecit in puero trienni decoctum ex croco metallorum, ob feram herpetem, ſupra crus affectum, impoſitum (*e*). Sæpe etiam veratrum album, ano inditum, ſtomachum æque infeſtat, ad id, quod per os ſumitur (*f*). Vini propria facultas habetur excitandi temulentiam, nec ſimilis in ulla alia re proprietas eſt; nam hyoſcyami, opii, ſtramonii longe alia eſt ratio, dum mentem turbant. Si Dipſas per-

(*a*) Diemerbroeck. obſ. med. 18. p. 18. Miſcell. N. C. dec. 2. ann. 8. p. 514. (*b*) Willis medic. operat. s. 2. c. 2 p. 21. (*c*) Miscell. N. C. dec. 2. ann. 4. p. 46. Kauw de perſpirat. p. 189. (*d*) Miscell. N. C. dec. 2. ann. 2. p. 263. (*e*) Miscell. N. C. dec. 2. ann. 1. p. 120. (*f*) Dioſcorid. l. 4. c. 145. Oribas. medicinal. collect. l. 8. c. 2. Spigel. de human. corp. fabric. l. 6. c. 4. p. 181.

percuſſit, inexplebile urget potionis deſiderium. (*a*) Rabioſi canis morſus miſerrimum genus morbi infert, in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur: ab hæmorrhoide icto ex omni corporis plaga ſanguis profluit (*b*). Si ſolanum quis aſſumpſit, quod Bella Donna Italis vocatur, oculi hebeſcunt primum, dein caligant uti ex ſenectute, poſt aliquot horas acies redit. Hæc & infinita id genus alia ex affectionibus corporum communibus intelligi nequeunt; natura humana ita ſe habet ad venena, hæc ad illam.

Pene cantharides venenis annumerari ſolent, fereque, ubi aut intus ſumuntur, aut cuti applicantur, corpori alienæ ſunt, effectu & virtute nondum bene cognitis; maxime tamen partes obſcœnas lædunt. Quidam vires ſali alcalino, qui ex iis arte elicitur, tribuunt. Sed acida earum vim augent. Itaque quo valentiores ſint aut acetum, aut fermentum panis adjiciunt (*c*). Et ne ſal hic quidem oleo ſuo deſtillato miſtus, ſi manui etiam calenti effricatur, dolorem aut veſicam excitat (*d*). Ipſæ autem cantharides veſiculas vivo corpori tantum inducunt, minimeque mortuo (*e*) neque proprio veneno læduntur. Si vero aliquis eas

(*a*) Aretæus de cauſ. morb. diut. l. 2. c. 2. Dioscorid. l. 6. c. 50. Act. tetr. 4. ſerm. 1. c. 22. Lucan. Pharſal. l. 9. vs. 738 & ſeq. (*b*) Dioscorid. l. 6. c. 50. Galen. de theriac. ad Piſon. Charter. t. 13. p. 940. Paulus Ægin. l. 5. c. 15. Aet. tetr. 4. ſerm. 1. c. 23. Actuar. l. 6. c. 11. Lucan. Pharſal. l. 9. vs. 806 & ſeq. Mead. de venen. introd. p. 17. (*c*) Bagliv. de uſu cantharid. c. 11. p. 654. (*d*) Bartholin. act. Hafniens. t. 4. obſ. 80. (*e*) Helmont. ignot. hospes morb. § 76.

eas ebibit, inde fiunt graviſſima mala: Nam a ſtomacho usque ad veſicam cuncta morderi ſentiuntur; difficulter urina, ſæpe etiam ſanguis mingitur, ſimiliaque, ac in torminibus inteſtinorum, alvus emittit (*a*). Ei autem panaces cum lacte contuſa, vel galbanum vino adjecto dari, vel lac per ſe debet Sed ex his etiam libidinem ſupra modum incitari, experimenta teſtantur. Ambo & mulier, & juvenis, quibus in potu cantharides exhibitæ erant, ſanguinem minxerunt; at juvenis, pene extento, vehementer fæminam ſubagitavit (*b*). Nobilem quoque a drachmis duabus, quas, ad venerem excitandam, cum ſcinco marino, & radice ſatyrionis miſcuerat malus medicus, inſatiabile coeundi deſiderium invaſit, acceſſitque & tumor ſcroti, & deficiente ſemine ſanguinis profuſio & undecimo die mors (*c*). Utique nimis etiam graves pœnas furti luere debuit pius antiſtes, quem amica, ut in ſui amorem detineret, ſupra cœnam exceperat, conditis pulviſculo cantharidum conſperſis. Nam, poſtero die, cum ſanguis ex ano & rigido cole profluereт, medici ex ſignis, quid factum erat, detexerunt, neque tamen ulla providentia fatum imminens moveri potuit (*d*). Nec melior ſors militi contigit, qui, ubi cum famula tota nocte jugiter coiverat, mane valde labefactatus vetulam rogabat, quo arcano ſecurus ad venerem redire

(*a*) Dioscorid. l. 6. c. 1. Paulus Æg. l. 5. c. 31. Scribon. Larg. c. 57. B. Silvat. cent. 3. conſil. 50. (*b*) Foreſtus l. 24 obſ. 7 p. 122. (*c*) Miscell. N. C. dec. 1. ann. 9 & 10. p. 323. (*d*) A. Paré l. 21. c. 35.

dire poſſet. Sumto enim, ex ejus conſilio, pulvere cantharidum, dolor veſicam prehendit, urina intercipitur, inflammatur penis, brevique tempore tormenta, cum incitarentur, tollunt hominem. Ubi vero cadaver luſtratur, ulcera, & in renibus, & in veſica, & ultra eam in cole reperta fuere. (*a*)

At ea, quæ duobus febre intermittente ægris ſupervenerunt, quamvis idoneos authores habeant, omnem tamen fidem ſuperare videntur. Alter enim, cui ad quartanam diſcutiendam ſtriga, ſeminis urticæ unciam unam, & cantharidum drachmas duas præbuerat, admiſtis etiam aliis, adeo vehementi œſtro percitus eſt, ut uxor per omnia ſacra dejeraret, ſe a binoctio octuagies ſepties initam fuiſſe, ipſumque interea ſæpius in lecto ſemen effudiſſe. Deinde vero, præſentibus medicis, brevi momento adhuc ter ſe polluit, pedem lecti pro fæmina ſubagitando, tandemque Libitinariis pollutionibus ceſſit, quibuſvis remediis incaſſum adhibitis. Alter, inductu ancillæ, ut tertianam profligaret, ex ſimili potione idem ſibi malum contraxit, ad quem cum evocaretur medicus, in limine domus obvia fit uxor, de præpoſtera mariti libidine (rarum utique mulieribus quærelæ genus) expoſtulans, dicendo illum quadragies una nocte hortum ſuum fodiſſe, ſimulque laceram nimio affrictu oſtentabat vulvam, remedium dolori juxta ac calori quærens. Ipſe vero in tantam ra-

(*a*) Lanzon. animadv. 28. t. 3. p. 478.

rabiem verſus eſt, ut catenis, obſeſſi inſtar, ligandus fuerit &, cum eum verbis ſolari vellent, uti ſe deliciis iſtis immori ſinerent, petiit. Ac mane mortuum hiante ore, membroque cancro affecto invenerunt ridenti ſimilem viſu, quem ſardonium vocant. (*a*) Sed non minus prodigioſa ſunt, quæ tradidit Theophraſtus, auctor alioqui gravis, ſeptuagenario coitu duraſſe libidinem herbæ cujuſdam, cujus nomen, ſpeciemque non poſuit.

Hippocrates non extrinſecus, ad materiam evocandam, cantharidibus uſus fuit, ad medicinam intro ſumendam ſæpius. Neque alienum eſt, adverſus urinæ difficultatem, ὕδρωπα & nonnulla etiam partium naturalium mala, ſorbitionibus granum unum adjicere. (*b*) Interdum autem evenit, ut veſica accenſa ſanguinem reddat, ſumta quarta parte grani; (*c*) Maxime vero convenit, pomis venuſtioribus ab imo arbore pendulis, crudum cantharidum pulviſculum inſpergere, & fiſſuram reducto putamine claudere, ut ardor & ſtillicidium urinæ furtum redarguant eorum, qui fructus decerptos deguſtaverunt. Nam is plectendo ſontes, melius Lampſacenorum Deo, fures ab amœniſſimo horto arcet. (*d*)

Si

(*a*) Cabrolius obſ. anat. 17. p. 100. vid. Smet. miſcell. l. 10. p. 547. Langium l. 1. epiſt. med. 47. Salmuth. l. 3. obſ. 23. (*b*) Theod. Baronius. de operation. meiendi læſion. l. 1. c. 7. Alexand. Maſſar. pract. med. p. 494. H. Capivacc. oper. p. 639. Werlhoff comm. litter. Norimb. 1733. p. 356. Tulp. l. 4. c. 26. phil. tranſ. no. 280. (*c*) P. Hermann. cynos. mat. med. t. 1. part. 2. p. 56. (*d*) Lang. l. 1. epiſt. 74.

Si quando autem ſenſus reſoluti ſunt, Aëtius docuit imponere cantharides (*a*) & cataplaſma, quod ex his fit, multum prodeſſe ad capitis dolores, quos κεφαλίαν & ἡμικρανίαν nominant, ſi ulcuſcula, quæ exinde oriuntur, diu ſaniem fundunt; prius vero lac quam plurimum ingeri debere, ne veſica, quæ urinam recipit, offendatur (*b*) Aretæus morbum quoque comitialem, in quo vehementes fricationes ad ruborem uſque adhibendæ ſunt, iiſdem tollere conatur, & ne veſica inflammationem contrahat, tribus diebus ante, lac bibendum ſuadet (*c*). Certum eſt enim, cantharides, ubi cataplaſmati, emplaſtro, vel unguentis miſcentur, cuticulam non modo exulceraſſe, ſed urinæ etiam ardorem, ſanguinis profluvium, febrim, & ſimilia mala, excitaſſe. Veſicatorio faciei, quam puſtulæ fœdæ occupaverant, impoſito, nobilis fæmina, poſt tertiam, quartamve horam, ſummo ardore urinæ periclitata, acrem vultus ſui curationem habuit (*d*) Eademque offenſa etiam in ſimili, quod ſupra cervicem ponebatur, fuit. (*e*) Item cataplaſma, quod ex cantharidibus & fermento panis fit, genu accommodatum, dolorem lumborum & renum excitavit, & lotium cruentum ferri ſivit, non ſine ejulatu (*f*) Notumque eſt, Braccum Patavinum, cum eas, conſilio Montag-

(*a*) Ex Archigen. Tetrab. 2. Serm. 2. c. 28. (*b*) Ex Archigen. & Galeno Tetrab. 2. Serm. 2. c. 50. tetr. 1. Serm. 2. c. 174. (*c*) De curat. morb. diuturn. l. 1. c. 4. (*d*) A. Paré l. 21. c. 35. (*e*) Miſcell. N. C. dec. 1. ann. 2. p. 178. (*f*) Hildan. cent. 6. obſ. 98. p. 631.

tagnani, genubus admoviſſet, plus quam quinque libras ſanguinis emiſiſſe (*a*).

Quidam tradunt, ſi quis diu cantharides manibus triverit, digitalibus licet munitis, ſæpe difficultate urinæ periclitari. (*b*) Eſt etiam apud Schenkium, eis, qui muſcas Hiſpanicas in pera geſtarunt, gravem fuiſſe ſanguinis profuſionem (*c*). Ita, aliis quoque authoribus, ſeplaſiarii ſibi cavere jubentur, ne eo tempore, quo hæc inſecta conterunt, pulviſculos volutantes excipiant, ſumendo emulſiones ex ſeminibus melonum (*d*).

Id omne Freindius jure ut vanum repudiavit (*e*) neque in ullo horum, qui eas quotidie tractant, unquam verum deprehenditur.

Nihil autem plus ad ipſam curandi rationem confert, quam ipſa experientia; & medicamentorum vim atque naturam ratio nunquam explicavit, utilitate & ars & inventor probatus. (*f*) Nam, quæ demum cauſæ, ſive natura, ſive morbi indoles, ſive medicamenti vis ſit, alvi profluvium excitent, quomodo ſemper illud papavere, ſaltem pro tempore, ſiſtatur, ne ſapientiæ quidem profeſſores ſcientia comprehendunt. Quid etiam ſcammoneæ radix ad purgandum poſſit, video; quod ſatis eſt: cur poſſit, neſcio (*g*) Longeque optime dixit comicus,

(*a*) Lindeſtolp. de venen. p 136. vid. Rhod. ad. Scribon. Larg. p. 277. Bartholm. cent. 5. hiſt. anat. 21. Stalp. v. der Wiel. cent. 1. obſ. 83. (*b*) Boyle de mira effluv. ſubtilitat. c. 4. ab Heers obſ. med. 9. p. 100. (*c*) l. 7. obſ. med. 37. (*d*) Ramazin. de morb. art. ſic. c. 12. (*e*) comm. de febr. 9. (*f*) Cicer. de divinat. l. 1. c. 7. (*g*) Id. l. c. 10.

micus, *opium facit dormire, quia eſt in eo virtus dormitiva, cujus eſt natura ſenſus aſſoupire* (*a*).

Hippocrates homines non ex conſilio, ſed potius caſu, medicamenta inveniſſe putavit, neque artifices magis, quam plebejos. (*b*) Et medicina quidem nuſquam non eſt. Siquidem etiam imperitiſſimæ gentes, herbas, aliaque promta in auxilium vulnerum, morborumque noverunt &, in cæteris nationibus agreſtes, litterarumque ignari, remedia caſu repererunt. (*c*) Fereque, ab animalibus, herbarum vires, homines primævi didiciſſe videntur. Nonnulli Melampodem, divinationis artibus inſignem, ſpeciei cuidam hellebori nomen ſuum indidiſſe; alii paſtorem ejuſdem nominis, id medicamentum inveniſſe, tradunt & cum capras paſto illo purgari animadverteret, earum lacte ſanaſſe Proëtidas furentes. (*d*) Qua planta Anticyreus quoque in Hercule uſus fuiſſe dicitur. (*e*) Sed veratrum nobis eſt acre venenum; at adipes capris, & coturnicibus auget. (*f*) Forte eodem modo, ſcammoneæ, tithymali, atque elaterii vis cathartica primo detecta fuit, cum & his pecudes veſcantur. (*g*) Quin etiam animalia profuere, medicinas reperiundo, ſive eorum naturis ingenitas, ſive

(*a*) Moliere malade imaginaire. (*b*) de affection. c. 12. ed. Mack. t. 2. p. 319. Galen. l. 1. & 2 de ſimpl. med. facultat. Charter. t. 13. (*c*) Plinius hiſt. nat. l. 25. c. 2. (*d*) Ib. l. c. c. 5. Theophraſt. hiſt. plant. l. 9. c. 11. Dioſcorid. l. 4. c. 15. (*e*) Hipp. Epiſt. ad Cratev. Charter. t. 1. p. 19. Galen. de atra bile ib. t. 8 p. 174. (*f*) Lucret. l. 4. 5. (*g*) Hipp. l. 6. epid. Charter t. 9 p. 537. Galen. comm. in l. c. de ſanitat. tuend. l. 4. t. 6. p. 151. Dioſcorid. l. 2. c. 6;.

ſive quotidie invenire judicemus. (*a*) Ibis Aegyptiæ, roſtri aduncitate, per eam partem ſe perluit, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt. (*b*) Atque canes vomitione alvos curant. (*c*)

Hæc remedia caſu detecta, antiquiores viri, conjectura aliqua ducti, uſu explorarunt, explorata notarunt. Nihil quippe intentatum, inexpertumque priſcis fuit; nihil deinde occultatum, quod non prodeſſe poſteris vellent. (*d*) Repertis deinde remediis, homines de rationibus diſſerere coeperunt, nec poſt rationem remedia ſunt inventa, ſed poſt inventa remedia, ratio eſt quæſita.

Quidam contendunt, medicamentorum præparationes, atque miſturas, graviſſimis caſibus opitulari, & rationis inventa eſſe? ſed miſta ingeniis conſtant. Non fecit antidota parens illa, ac divina rerum artifex: officinarum hæc, imo verius avaritiæ commenta ſunt. Naturæ quidem opera abſoluta atque perfecta gignuntur: ſcrupulatim vero colligere, ac miſcere vires, non conjecturæ humanæ opus, ſed impudentiæ eſt. (*e*) Atque hæc ſola naturæ placuerat eſſe remedia, parata vulgo inventu facilia, ac ſine impendio. Poſtea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones, & miſturæ inexplicabiles decantantur. (*f*) Jam olim innume-

(*a*) Plinius hiſt. nat. l. 28. c. 1. l. 27. c. 3. (*b*) Cicero l. 2 de nat. Deor. c. 50. Plin. l. 8. c. 27. (*c*) Cicer. l. c. (*d*) Plin. l. 25. c. 1. (*e*) Ib. l. 22. (*f*) Id. l. 24. c. 1.

merabilia miſturarum genera erant: neque harum ullus modus fuit; cum & iidem effectus intra paucas compoſitiones ſint, &, eas mutare cuilibet, cognitis facultatibus ſimplicium, facile ſit. Quam ob cauſam Plinius, mirum & indignum eſſe, dixit; nullam artium inconſtantiorem medicina fuiſſe, cum ſit fructuoſior nulla (*a*). Eademque ſors compoſitionum, quæ earum inertiam oſtendit, hodie eſt. Loco exoletarum alia afferunt, paucis annis iterum repudianda. Voluminum, quæ eas continent, editio poſterior ſemper purgata, atque limata vocatur. Contra ſimplicibus, quorum virtus uſu, & experimentis cognita fuerat, idem ſemper manſit honos. Et quicunque expendit laborioſiſſimæ præparationis tædia, quid tanto dignum reperit molimine? Herculeo labori exantlato pretium nihil. Hydrargyrum, opium, rheum, ipecacuanha, Peruvianus cortex, ignis, & aqua, ſunt, ut norunt optimi, in ipſo opere certiſſima auxilia. Quæ tamen, ut cruda ab alma natura porriguntur, plus boni efficiunt, quam ſi negotioſa in otio arte permutata fuerint. Nil deſperandum ſimplicitate duce, ſed fallit ſpem laboris involuti ſucceſſus. (*b*) Artis etiam principes Hippocrates & Sydenhamus pauca, & fere ſimplicia morbis oppoſuere auxilia.

Non poſſe vero comprehendi, quo modo remedia agant, patet ex eorum, qui de his diſputarunt diſ-

(*a*) L. 29. c. 1. (*b*) Boerhav. orat. qua repurgat. medic. aſſeritur ſimplic.

diſcordia. Si conjecturas ſequi velis, omnium poſſunt videri non improbabiles. Si conſuetudinem, aut propriam cuivis homini naturam reſpicis, omnes pondus amittunt. Reſolvitur enim medicamentorum vis conſuetudine, & deſinunt prodeſſe, cum opus eſt, quæ quotidie in uſu fuerunt, æque quam nocere. (*a*) Ac, ſi quis frequentes purgationes habet, alvus cito moveri deſueſcit, niſi medicamentum copioſius aut ſub alia forma detur. Neque in ſanis venter omnibus horis ſolvitur, ſed in pleriſque, per certa & ſolita intervalla, quibus ſi non vacat, neceſſitatem agnoſcere, dejiciendi opportunitas præterlabitur. Atque proprietatis notitia ſæpe neceſſaria eſt; quia non eadem omnibus, etiam in ſimilibus caſibus opitulantur. Siquidem certæ quædam res ſunt, quæ in pluribus ventrem, aut adſtringunt, aut reſolvunt; inveniuntur tamen in quibus aliter, atque in cæteris, idem eveniat. Et interdum, ex dato remedio, dejectio non ſequitur ſicut aſſuevit. Interdum etiam malum, quod ex vulva fæminis naſci dicunt, medicamentis ad id plerumque efficacibus, intenditur. (*b*) In his communium inſpectio contraria eſt, propriorum tantum ſalutaris, ſed ſæpe difficilis. Galenus, ſi certa peculiaris proprietatis indicia detegere potuerat, ſe Aeſculapium medendi felicitate parem fore, exiſtumavit. Cum vero quibuſdam, ab exigua medicamenti potione, multus humor profluat, quibuſdam vix dejiciendi cupiditas oriatur, Hippocra-

(*a*) Plin. l. 28. c. 1. (*b*) Sydenh. p. 409. 410.

crates (*a*) & poſt eum Sydenhamus (*b*) optime monuerunt, eum, qui materiem ſupra aut infra evocaturus eſt, interrogare oportere, utrum ægro, ubi antea quid ſimile ſumſit, alvus cita fuerit, & celeriter ſubſecuta, nec ne?

Sed ut hæc remedia modo prorſus incognito agunt; ſic in morbis, qui contagio ſuſcipiuntur, nulla acrimonia percipi poteſt. Venenum varioloſum abſque ullo dolore hominem invadit, & diu ſæpe latet, antequam quid mali ſentitur; nam aliquot demum diebus ab inſitione cruciari incipit brachium. Neque, ſi rabioſus canis fuit, ilico virus ejus effectum edit. Neque ſtatim ii, quos peſtifera tormenta corripiunt, de dolore queruntur, vel ardore, in quadam ſui corporis parte. Et non facile his opitulari eſt, qui venenum, vel in cibo, vel in potione ſumſerunt; quia non protinus ſentiunt.

Igitur pleraque tam medicamenta, quam venena unice pendent a particulari prorſus indole, qua naturam inſtruxit humanam Conditor, neque ratione alia, quacunque demum de cauſa, unquam poterunt intelligi. Atque ea agunt, quatenus a natura humana ejuſdemque reliquiis accepta motaque inde ſuos in actus deducuntur. Unuſque ille, qui mutatam ab his applicatis naturam & mutantem alia caute obſervavit, de viribus medicamentorum apte dicet. Extra hæc, qui vel pedem movet, errat ilico, neque & in his ex ingenio

(*a*) De purgant. Charter. t. 10. p. 46. (*b*) p. 485.

nio ſolertiſſimo, vel minimum quid licet fingere (*a*) Galenus omnia, quæ agunt in corpus humanum, per qualitates vulgo dictas cardinales, harumque gradibus caloris agere, concepit. Cum vero quædam fiunt, quorum vires, non niſi effectu cognoſcuntur, ea tota ſubſtantia agere, vel qualitate occulta, dixit. Hæc autem verba, non minus, ac id quod quæritur, obſcura ſunt. Et quid prohibet ad ignorantiæ aſylum confugere? (*b*) Malim me hominem, id eſt, plurimarum rerum inſcium fateri, & hoc ſum, duce Cicerone, contentus, quod etiamſi, quomodo quicquid fiat, ignorem, quid fiat intelligo. (*c*) Non reperio cauſam: latet fortaſſe obſcuritate involuta naturæ. (*d*)

## CAPUT XVI.

### *De cauſis magis remotis.*

His veluti in conſpectum quendam, quatenus ſcire curanti neceſſarium eſt, adductis, cauſas magis remotas, quarum plures jam ſæpius tetigi, ulterius exequar, orſus a contagio; quo famuli, cuſtodes, medici, chirurgi, & qui nimia cautela fæces luſtrant, ſæpe inficiuntur. Idque maxime inteſtina afficit, intactis aliis partibus, per quas tran-

(*a*) vid. Boerhav. orat. de honor. med. ſervitute (*b*) ab Heers. obſ. med. 9. (*c*) de divinat. l. 1. c. 9. (*d*) Ib. c. 18.

tranſit. Quidam ſolo odore ſanguinis in vaſe vitreo per menſes incluſi & corrupti in vera tormina incidit. (*a*) Interdum virus tam vehemens eſt, ut neque ſanguinis curſu ſubigi poſſit, nec in mammis emendari. Puerpera peſtilenti quodam alvi profluvio prehenſa, ne infantem inficeret, illum nutrici commiſit; mammas vero, ad lactandum, binis catulis præbuit, qui altero die dejectionibus jugulantur. Deinde tertium, cum is ubera duxiſſet per biduum, tormina quoque cruciarunt: ſed quartus appoſitus catulus ſtrenue ſuxit, ſine noxa. Ipſaque puerpera ſe melius habens brevi convaluit & quarto decimo die ſanum infantem propriis mammis admovit vegeta mater. At duæ aliæ eodem morbo implicitæ ſubito cum lacte toxicum mortiferum tenellis ſuis inſtillarunt. (*b*) Fuitque etiam hæc lues ipſis ovibus infeſta. (*c*) Quamvis aër, qui nobis inimicus eſt, raro animalia afficiat.

Cum vero autumno maxime, quo tempore poma ſuccoſa matureſcunt, & lævitates inteſtinorum, & tormina oriantur, his vulgus cauſam tribuit. Sed ne hi quidem magis, qui ex toto ſibi temperant, quam qui fructibus immaturis veſcuntur, a populari labe immunes ſunt: & quæ eſus fructuum inſequitur alvi dejectio ſæpe ſalutaris eſt, minimeque contagioſa, & facile ſanatur. Atque uvas quoque & muſti potum in torminibus maxime pro-

(*a*) John. Pringle obſervations on the diſeaſes of the army p. 227. (*b*) Brunner. miſcell. n. c. d. 2. ann. 6. p. 387. J. J. Wepfer. diſſert. de dyſenter malign. p. 22. (*c*) Id. ib. p. 19.

profuiſſe, irritis omnibus aliis, experientia docuit. (*a*) Præter hæc morbus, ut peſtilens quiſque, oritur, creſcit, atque decreſcit. (*b*) Neque omnes promiſcue invadit, ſed aptos tantummodo ad contagium ſuſcipiendum. (*c*) Et pleroſque non, niſi ſemel in ejuſmodi conſtitutione aggreditur. (*d*) Et febrium acutarum inſtar, certis diebus, aut ægros tollit, aut ipſe finitur. (*e*) Etiam is, interdum veris ſoboles eſt; (*f*) atque vulgari temporum mutatione, tempeſtatumque vi ſuſcitari videtur. Quod Galenus, cum Hippocrate, plurimis exemplis probare conatus fuit. Tempeſtates iis, quas memorant, ſimiles, maxime ſalubres fuiſſe, longa obſervatio docuit; contra plures temperatas, & æquales, ingentes ſtrages edidiſſe. Ideoque, aërem non ex vario tempeſtatum habitu, ſed occulta quadam de cauſa, nocuiſſe, neceſſe fuit. Graviſſima tormina anno 1538. univerſam fere Europam tanta ferocitate populabantur, ut vix ulla civitas immunis eſſet; etiamſi nulla intemperies, nec temporum inæquabilitas cœlum pejus reddebat, aut ante reddiderat. Annus vero ab hoc ſecundus, fervidior omnibus memoria notatis, ſaluberrimus fuit. (*g*)

Tormina tamen, quæ milites infeſtare conſue-

ve-

(*a*) Miſcell. n. c. dec. 2. ann. 10. obſ. 192. vid. Pringle l. c. p. 20. (*b*) Sydenh. p. 178. (*c*) Degner. de dyſenter. p. 28. (*d*) Brunner miſcell. n. c. d. 2. ann. 6. p. 390. (*e*) Ib. p. 391. Degner. l. c. p. 18. 19. 22. Sydenh. p. 179. (*f*) Huxham obſ. de aere t. 2. p. 98. & ſeq. Hoffmann. med. rat. t. 4. p. 574. (*g*) Fernel. l. 2. de abdit. rer. Cauſ. c. 13 p. 112. vid. Sydenham. p. 40. 107. 191. 295.

verunt, quamvis ineunte vere leviter incipiant, poſt fervidam æſtatem, maxime ubi exercitus humido loco caſtra poſuit, ſemper periculoſiſſima fuerunt, & magis peſtifera (*a*); hæc autem ab iis, quæ per populos pervagantur, vix diſtant, niſi quod in caſtris non tam commode, quam in urbibus medicinæ locus ſit, & aer, in valetudinariis, minus ſalubris (*b*). Atque ex eadem materie, qua putrida febris naſcitur, eſſe videntur: nam & hæ eadem tempeſtate frequentiores ubique ſunt: & hæc bina mala in ſe invicem ſæpe mutantur. Frigus etiam, circa autumnum, modo febres intermittentes, modo tormina infert: & utrumque morbum in quibusdam excitat. Primæ acceſſiones quoque pene ſimiles ſunt. Neque alia magis regio torminibus patet, quam quæ bilioſis febribus infeſtatur. (*c*) Sed ut ver febres maxime accendit, ſic tormina, quæ eo tempore eveniunt, minus putrida, & cum inflammatione ſunt, & promtius, inter initia, curantur: ſi vero res inveteraverit, vix ulla medicina malum inteſtinorum vincit (*d*).

Solet etiam interdum, ex ipſa loci regione, cruentum alvi profluvium naſci. Id Londini quotannis circa autumnum incipit, plerumque proximos non infeſtat, nonnunquam plures contagio opprimit (*e*) Vulgatiſſimus quoque, peſſimusque Braſilienſibus, & qui Indiam orientalem inhabitant,

(*a*) Pringle l. c. p. 214. 215. (*b*) Ib. p. 230. (*c*) Ib. p. 225. 226. (*d*) Ib. p. 229. (*e*) Willis de med. operat. ſ. 3. c. 3. p. 80.

tant, affectus hic eſt, pluresque ibi ægros præcipitat, quam quiſpiam alius. (*a*) Lutetiis vero Pariſiorum, crebrior dejectio, qua primum mucoſa, dein cruenta deſcendunt, omnes fere, qui adveniunt, quovis anni tempore, diutius vexat, non cives; ita tamen, ut hi in publicum prodire, & ſuis officiis fungi queant: neque ea contagioſa, neque cum febre eſt. (*b*)

Is autem morbus, qui & gingivas, & duriſſimos dentes rodere conſuevit, & ſcorbutus a recentioribus nominatur, intus viſcera ſæpe tabefacit: ex his cruor manat, isque cum ſtercore non permixtus, absque tormentis, excernitur (*c*). Frequenter fæces compactæ copia ingeſtum cibum excedunt, colorque in eis eſt, modo viridis, modo cinereus. Interdum ſi æger victu errat, aut natura humidus eſt, liquida deſcendunt, ab omni alio fluore ventris diverſa (*d*). Similiter in podagricis, ubi materies ventrem occupat, dejectiones & tormina fiunt.

Inſultus etiam, quos hyſtericos vocant, metum, bilem atram, pus, quod intus hæret, ſaniem, morborumque judicationes, & plurima alia, quo in numero medicamenta ſunt, alvum cum, vel ſine torminibus ciere, alias dixi: nunc, quid a radice œnanthes fiat, dicendum. Binis, qui eam comederunt, ſtomachus faucesque cum rubore intumeſ-

(*a*) G. Piſo de Medic. Braſil. l. 2. c. 14. p. 30. Bontius de med. Indor. c. 3. p. 64. (*b*) Hofman. med. rat. t. 4. part. 3. p. 527. (*c*) Eugalen. de ſcorbut. c. 7. (*d*) Ib. c. 6.

meſcebant, mens non conſtabat, oculi vertebantur: nauſeaque erat, & ſequebatur ſubita alvi profuſio; qua unus, duabus ab eſu horis, alter, poſt tres interiit (*a*).

## CAPUT. XVII.

### *Quid a dejectionibus venturum ſit.*

Similiter quoque ea, quæ in qualibet profuſione eveniunt, ex magna parte ſupra poſui; reliqua paucis dicam. Alvus mala eſt ex toto ſuppreſſa. Ipſa autem dejectio ſine ulla noxa eſt, quæ ſine febre eſt, ſi celeriter deſinit, ſi contrectato ventre nullus motus ejus ſentitur, ſi extremam alvum ſpiritus ſequitur. Et uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, &, quod intus læſurum erat, utiliter effunditur. Quidam certis intervallis abundantem materiam ore & alvo reddunt (*b*). Articulorum quoque vitia, ut podagræ, chiragræque, ſi juvenes tentarunt, neque callum induxerunt, ſolvi poſſunt, maximeque torminibus leniuntur, ſi quocunque modo venter fluit. Item in morbo comitiali ante pubertatem orto ea maxime proſunt, quæ per dejectiones excernuntur. Quibus vero

(*a*) Stalp. v. der Wiel cent. 1. obſ. 43. p. 182. (*b*) Galen. l. 7. method. med. c. 9. t. 10. p. 173.

vero ex alba pituita, & corpus, & mens ſtupet, aut nervi reſolvuntur, hos quoque vehemens alvi profuſio, ſi accedit, levat (*a*). Oris reſolutio etiam alvo cita finitur. Omnisque dejectio lippienti prodeſt, & nihil plus adverſus ſurditatem, quam bilioſa alvus poteſt. Sed atra bilis quoque, integris viſceribus, ſupra & infra feliciter emittitur (*b*). Interdum ſi tumores, ſuper ulcera, ſubito eſſe deſierunt, tuta profuſio alvi ſequitur. Galenus, ubi podagram & articulorum dolores ſentire cœperunt, protinus alvum ducendo, per plures annos, bonam valetudinem præſtitit: eodemque curationis genere, & attonitos, & morbum comitialem, & qui ab atra bile eſt, aliosque ejusmodi longos affectus, multum levavit. Sic cuidam non ſolum vere, ſed autumno quoque, cum quotannis in triſtitiam caderet, alvus quam tenerrima ſervata eſt. Eodem authore, & mulier, cui carcinoma incepit in mamma, ſingulis annis, ineunte vere, medicamento, quod bilem atram evocat, bene ſe purgavit: & purgatione omiſſa, mox dolorem profundum ſenſit. Protinus etiam, inter initia, ſanguis miſſus, venterque ſolutus, ægrum a morbo, quem ἐλεφαντίασιν vocant, vindicavit. Alvusque, ne in idem malum incideret, per ſingulos annos ſemel ſubduci oportuit. Præter hæc ab eo tertiana quoque, quæ æſtate ſemper redire conſueverat, bilioſa alvo diſcuſſa fuit, ſub finem veris (*c*).

Ac

(*a*) Vid. van Swieten comm. t. 3. p. 286. 273. (*b*) Ib. p. 510. (*c*) L. 7. method. medend. c. 9. t. 10. p. 470.

Ac ne tormina quidem periculoſa ſunt, ſi ſanguis & ſtrigmenta deſcendunt, dum febris, ceteræque acceſſiones hujus morbi abſint: adeo ut etiam gravida mulier non ſolum conſervari poſſit, ſed etiam partum reſervare, a quo hæc plerumque cito finiuntur, quamvis antea venter nullis remediis contrahatur (*a*). Uxor Epicharmi, antequam peperit, torminibus & vehementi dolore preſſa, cruenta ſimul, & mucoſa dejecit: ſed, a partu, repente convaluit (*b*). Etiam prægnans, quæ, ultimo menſe, hoc morbo infeſtabatur, non ſolum, vegeto fœtu excuſſo, ſanitatem recepit (*c*), ſed ea quoque, quæ per quatuor menſes, & quæ, omni graviditatis tempore, ventris fluxu debilitata erat (*d*). Neque ipſa tormina, quibus populus anno 1669 cruciabatur, ullam gravidam conſumſerunt: conſtititque plusquam decem, vomitu & frequenti dejectione tentatas, tam primis quam mediis ac ultimis geſtationis menſibus, feliciter partus, ſolito tempore, edidiſſe (*e*). Ergo etiam prægnantibus id, quod alvum movet, recte datur, & vix abortus metum incutit, a quarto ſaltem ad ſeptimum menſem. Sæpe eo deluſæ puellæ, quod in abſcondito conceperunt, publicæ luci exponere coguntur. Nihil quoque facit ſabina, nil crocus, nil alia, quibus menſtrua provenire dicunt (*f*).

Mu-

(*a*) Vid. Sennert. t. 1. l. 3. part. 2. ſect. 2. c. 7. § 27. p. 910. Schenck. l. 4. obſ. 9. (*b*) Hipp. epid. l. 5. text. 48. Charter. t. 9. p. 350. & epid. l. 7. p. 593. prædict. l. 2. c. 13. ed. Mack. t. 1. p. 135. (*c*) Sennert. l. c. (*d*) Mauriceau malad. des femmes groſſ. l. 1. c. 19. (*e*) Wedelius miſcell. N. C. dec. 1. ann. 3. p. 22. (*f*) Ibid. dec. 2. ann. 3. p. 212.

Mulieri tamen gravidæ, ſine modo, fuſa alvus elidere partum poteſt (*a*). Cui ſexto menſe orta dejectio erat, etiamſi ipſa convaluit, partum tamen perdidit (*b*). Facile autem gravida ejusmodi caſu rapi poteſt, ſi is non eodem die, quo infans excutitur, & ſecundæ extractæ fuerunt, aut non multo poſt ceſſat (*c*). Mulier enim, ex partu, ſi alvo cita laborat, in periculo mortis eſt (*d*). Quæ anno ætatis decimo ſeptimo, in mendacium foro, difficulter maſculum enixa erat, hæc protinus cum febre vehementi, paucis etiam, ſed tenuibus dejectionibus conflictata, per totum morbum, ventrem liquidum cum ſenſu quaſi rigoris habuit; & ubi ſanguis ex naribus profluxiſſet decimo quarto die vitam finivit (*e*): lac quoque mulieris, quam tormina vexant, infanti pro veneno eſt (*f*).

Periculoſa etiam alvus eſt, quæ inter febres fluens conquieſcere hominem in cubili non patitur; utique, ſi quod deſcendit, eſt perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumans. Præter hæc periculum oſtendit id, quod excernitur, ſi eſt exiguum, glutinoſum, læve, album, idemque ſubpallidum; vel ſi, aut lividum, aut bilioſum, aut cruentum, aut pejoris odoris, quam ex conſuetudine. Malum eſt etiam, quod poſt febres longas ſincerum eſt. Alvus quoque varia peſtifera eſt, & quæ

(*a*) Hipp. aph. 5. 34. (*b*) Amat. Luſitan. cent. 2. curat. 51. (*c*) Id. ib. Hipp. l. 2. prædict. c. 13. ed. Mack. t. 2. p. 135. Mauriceau l. c. (*d*) Mauriceau ib. l. 3. chap. 14. Denys verhandelinge van het ampt der vroedmeeſters p. 44. (*e*) Hipp. l. 3. epid. Charter. t. 9. p. 252. (*f*) Brunner. miſcell. N. C. Dec. 2. ann. 6. p. 387.

quæ ſtrigmentum, ſanguinem, bilem, viride aliquid, modo diverſis temporibus, modo ſimul, & in miſtura quadam, diſcreta tamen repræſentat. Sed hæc quidem poteſt paulo diutius trahere. In præcipiti vero jam eſſe denunciat, quæ liquida, eademque vel nigra vel pallida, vel pinguis eſt; utique ſi magna fœditas odoris acceſſit. Dejectionibus etiam, ſi inflammatio jocinoris acceſſit, aut præcordiorum, aut ventris; ſi immodica ſitis; ſi longius tempus; ſi alvus varia; ſi cum dolore eſt, etiam mortis periculum ſubeſt; maximeque ſi inter hæc, tormina vetera eſſe cœperunt. Isque morbus maxime pueros abſumit, usque ad annum decimum: cæteræ ætates facilius ſuſtinent. Quinetiam tormina ab atra bile orſa mortifera ſunt: aut ſi ſub his, extenuato jam corpore, ſubito nigra alvus profluxit: facileque conſumitur is, cui protinus in recenti morbo, bilis atra vel infra vel ſupra ſe oſtendit. At inteſtinorum lævitas periculoſior eſt, ſi frequens dejectio eſt, ſi venter omnibus horis, & cum ſono, & ſine hoc, profluit; ſi ſimiliter, noctu, & interdiu; ſi quod excernitur, aut crudum eſt, aut nigrum, & præter id, etiam læve, & mali odoris; ſi ſitis urget; ſi poſt potionem urina non redditur, (quod evenit, quia tunc liquor omnis non in veſicam, ſed in inteſtina deſcendit) ſi os exulceratur; ſi rubet facies, & quaſi maculis quibusdam colorum omnium diſtinguitur; ſi venter eſt quaſi fermentatus, pinguis, atque rugoſus; ſi & cibi cupiditas non eſt. Inter quæ, cum evidens mors ſit,

ſit, multo evidentior eſt, ſi jam in longinquum quoque id vitium eſt; maxime etiam, ſi in corpore ſenili eſt. Contra facilius a teneris ætatibus depellitur, utique, ſi ferri urina, & ali corpus incipit. Raro profuſionem alvi, niſi ubi aut aqua inter cutim aut tabes ſubeſt, corporis colliquatio ſequitur. Quæ ſi incidit, vix unquam curatur, & ægros, ſi vomere vel medicamentis dejicere coguntur, quam celerrime rapit.

Verum cuivis profluvio ſpatium periculoſum eſt, interdum enim tormina ac febriculas excitat viresque conſumit: neque ulla res magis viſcera ad idem malum diſponit. (*a*) Nam vaſa relaxata, ubi utilis humor emittitur, imbecilliora reddi & liquida, nihil objectis, quæ prohibeant, ſolito itinere, effluere, manifeſtum eſt; impetus ventris prohibitus leni etiam medicamento iterum concitatur. (*b*) Mulierique lactanti nonnunquam quoque omnis ſuccus, quo ſe ſuſtinet, mammis exhauritur, & niſi cibi potioniſque deſiderium urget, corpus extenuatur. Quam ob cauſam, in omni fluore ventris, præcipue in lævitate inteſtinorum, neceſſarium eſt, non quoties libet deſidere, ſed quoties neceſſe eſt, ut hæc ipſa mora, in conſuetudinem oneris inteſtina deducat. Idque fieri poſſe alvus lotione ducenda teſtatur: nam, cum infuſa eſt, recte præcipiunt, quantum fieri

(*a*) Pringle obſervat. on the diſeaſ. of the army p. 218.
(*b*) Hoffmann. med. rat. t. 4. part. 3. c. 7. p. 548. Sydenham. p. 189.

ri poteſt continere ſe in lectulo debere ægrum, nec primæ cupiditati dejectionis protinus cedere: ubi neceſſe eſt, tum demum deſidere.

Si vero diutius ventris fluor remanet, viſcera imbecilliſſima redduntur, adeo, ut, mortuo etiam corpore, vaſa frigore contracta, liquida dimittant, reſolutis inteſtinis. Nonnunquam ſumma cutis quoque relaxatur ita, ut humoris nimia abundantia per eam effluat. Nonnunquam aura in ipſis inteſtinis concluſa, membranas antrorſum pellit, & tumefacit: easque ita diſtendit, ut vim ſuam reſiliendi prorſus amittant, in immenſum fere aucta illorum capacitate. (*a*) Quo, ventre vehementer intento, creber intus, ex motu ſpiritus, ſonus fit. Τυμπανίτιδα Græci nominarunt. Accedit ad hæc, quod ab alvi longa reſolutione inteſtina exulcerentur, & tormina fiant: quia mucus, papillas nervoſas contegens, perpetuo fluxu abripitur. Sed, ablato muco, tunicam, quæ ſubtus eſt, inflammatio afficit, & poſt hanc, ſuppuratio, & cancer. Fereque omnes, qui torminibus tolluntur, ex cancro inteſtinorum pereunt: nam extrema, triduo ante, jam frigeſcunt: arteriæ parum, & non æquis intervallis, moventur; ſitis, & dolor in affecto loco, deſinit. Interdum, paucis horis, ante mortem, aliena loqui incipit æger. (*b*)

De-

(*a*) Pringl. l. c. p. 227. 228. vide de tympanitid. R. Mead. monit. & præcept. med. cap. 8. p. 124. 125. Smet. miſcell. l. 10. p. 524. Haller. opuſc. pathol. obſ. 26. p. 50.
(*b*) Bagliv. prax. l. 1. p. 108. Pringle l. c. p. 218. G. Clighorn obſervat. on the diſeas. in Minorca. ann. 1744. to 1749.

Degnerus, quando dolor ſe remiſerat, (*a*) & quando pulſus arteriarum parvus aut inæqualis eſſet, ingens periculum; ſed quando deſiſſet, aut tantum intermiſſus eſſet, ſubito mortem inſtare deprehendit. (*b*) Et in his leviſſima quoque deliria vidit (*c*) Singultus etiam, qui, inter initia, ſi quid intus coacuit, non adeo timeri debet, ubi malum inveteravit, ſuperveniens ſpem tollit. (*d*) Atque hæc omnia cancri inteſtinorum notæ ſunt; ſiquidem cui ex morbo, quod εἰλεον nominant, mors in propinquo eſt, gelidus ſudor manat (*e*), arteriæ minime, & creberrime micant, tandem micare deſinunt. Neque aliud mortua corpora torminoſorum inciſa oſtendunt. Inteſtina ſexagenarii, qui quinto die morbi vitam finierat, undique vitiata erant. (*f*) Alii, qui ex immodica ſpiritus vini potatione, tormina ſibi contraxerat & ſæpe ex arteriis, ad duarum librarum pondus, ſanguinem concretum pulcherrimi coloris dejecerat, tunicæ etiam eroſæ fuerunt, & quatuor in locis perforatæ. (*g*) Atque cadavera eorum, quos peſtifera tormina ſuſtulerunt, inteſtina, modo inflammata, modo corrupta, repræſentarunt, maxime in recto, eique proxima parte coli: in tenuiori autem, vel integra, vel certe minus affecta: ſæpe vero, inter

(*a*) de dyſenter. p. 24. (*b*) Ib. p. 23 (*c*) Ib. p. 17. (*d*) Pringle l. c. p. 217. (*e*) Aretæus Cappad. l. 2. de cauſ. morb. acut. c. 6. (*f*) Hildan. de gangræn & ſphacelo c. 4. p. 774. (*g*) Barbette l. 4. c. 5. §. 9. p. 170. vid. River. cent. 3. obſ. 2. p. 517. Bartholin. cent. 6. hiſt. anat. 11. Dolæum encyclop. chyrurg. p. 1376. Miſcell. n. c. d. 1. ann. 3. p. 186.

ter ſe concreta, ut pulmo, ex laterum dolore, membranæ, quam πλευρὰν vocant, adhærere ſolet: reliqua etiam viſcera ſub præcordiis poſita, plus minuſve vitiata, in conſpectum dederunt: & plerumque cordis ventriculos nigro cruore repletos, bilemque, in veſicula, atram, & craſſam. (*a*)

Quidam, cum a morte inteſtina ſuppuratione vel cancro affecta vidiſſent, exulcerationem torminum, quæ populum invadere ſolent, cauſſam eſſe putarunt. Atque veri quoque ſimile eſt, ulcuſcula glandularum, quæ ſpuriæ vocantur, maximeque ex vaſis protractis conſtant, multam ſaniem fundere poſſe, quod non ita in ipſis glandulis evenit, quoniam eas vaſa ſanguifera tantummodo attingunt. (*b*) Nec minus periculum καρκίνωμα affert, ſi id fit in ſtomacho, circa viſcera, aut inteſtina; ſæpiusque poſt abſceſſus, qui ventrem infeſtarunt, integræ membranæ, aut fibræ, ſive carunculæ excernuntur. Ac torminibus, quîs Indi corripi ſolent, intus inteſtina exulcerantur: ex his primo cruor, cum quibuſdam quaſi mucoſis manat, dein purulenta cum ramentis & corrupta inteſtini parte deſcendunt: atque cum iiſdem quoque tormentum intenditur. (*c*) Bontius, tunicam interiorem, in milite, quem id malum conſumſerat, ex toto abraſam vidit. (*d*) Pringlius, circa

(*a*) Pringle l. c. p. 219. 220. 221. 223. 224. G. Cleghorn. l. c. p. 227. 228 (*b*) Ruyſch. epiſt. 11. p. 9. (*c*) Bontius med. Indor. c. 3 p. 64. (*d*) obſ. 3. p. 99.

ca inteſtinum rectum, partem ejus conſumtam, reliquas nigras, teneras, & friabiles, proximam vero, per quæ vaſcula diſcurrunt, quaſi cera tumentem, reperit; orbeſque, quibus per membranulas ſinus coli connectuntur, vitioſe laxatos. (*a*) Alii, plures partes intimæ tunicæ undique ab inteſtino hominis, qui tabe & fiſtula ani laboraverat, diductas fuiſſe, invenerunt. (*b*) Quales etiam Ruiſchius ſævis torminibus ejectas depinxit. (*c*) Fereque membrana villoſa cuticulae, cum qua committitur, ſimilis, eodem modo ſecedere videtur, ac illa, atque renaſci. (*d*) Sæpe enim Mercurius os, faucesque erodit: ſed, ubi cruſta excidit, integumentum oris internum reducitur. Etiam in ſtomacho, & inteſtinis aphthæ incidere conſueverunt. Nonnunquam internam quoque membranam veſicæ, per urinæ iter, deſcendiſſe, nihil nocuit. (*e*)

Interdum autem evenit, ut oblongum quid, & cohærens, ac ſi integrum inteſtinum ſit, deſcendat: idque ejus ſuſpicionem incautis movet: nam ſi e vaſculo cruor ſtillat, is vel. purus, fæcibus non immiſtus, effunditur; vel ubi in grumos coiit, ac ſi latus araneolus eſſet, extenditur, adeo ut ne ſanguis quidem excretus eſſe, videatur. (*f*) Inter-

(*a*) L. c. p. 221. (*b*) Medic. eſſ. Edinburg. t. 5. art. 2. vid. van Swieten. comm. t. 3. 184. (*c*) Theſaur. anat. 1. no. 6. p. 26. (*d*) Lieberkuhn. diſſ. de fabr. villor. inteſt. p. 16. vid. Monro medic. eſſ. Edinb. t. 4. part. 12. (*e*) Ruyſch. dec. 2. adverſ. anat. 9. p. 25. tab. 11. vid. C. A. Koch. deſcript. affectus rariſſ. ab Boerhav. in noſocom. ſanati. (*f*) Aretæus Capp. l. 2. de cauſ. morb. diuturn. c. 9.

terdum mucus concretus pro ramentis inteſtinorum ab imperito habetur. Lipſius diu tædioſiſſimo malo conflictatus, cum purgationis cauſa medicamentum ſumſiſſet, ubi multum materiæ continuæ excerni ſentiret, ſe maſſam omni nota inteſtinis ſimilem effudiſſe, attonitus vidit; vocatoque Heurnio, de vita ſua actum eſſe, dixit, ſiquidem omnia inteſtina dejecta erant. Is vero ventris proluviem intuens, læto vultu, morbum victum eſſe oſtendit, lenta pituita, quam lucubrationes coacervaverant, ſub forma inteſtinorum, expulſa; rediitque vir celebris ad priſtinam ſanitatem (*a*). Similiter in torminibus mucus, quem glandulæ inteſtinorum ſecernunt, cum cibis corruptis coagulatus ejicitur: ſtrigmenta quoque, quæ fibras inteſtinorum mentiuntur, nihil aliud eſſe videntur, quam ſanguinis partes gelatinoſæ in filamenta compactæ: neque caruneulæ vel pelliculæ, quas torminoſi frequenter dimittunt, diductas lamellas inteſtinorum aut tunicæ carneæ particulas conſtituunt; potius ſæculas excocti quaſi ſeri: hæque, reſolutis lateribus inteſtinorum, veluti cera, agglutinatæ, non ſine periculo & cum vehementi dolore, exturbantur, ac ſi pelliculæ aut ulcuſcula, aut ipſa etiam inteſtina eſſent. (*b*) Et plerumque, dum vires recipit æger, venter coacta magis reddit, quæ, cum ſub tenui victu & frequenti dejectione vix fieri poſſint, jam ante mor-

(*a*) In vita Heurnii. (*b*) vid. J. J. Wepfer. diſſert. de dyſenter. malign. §. 8. 9. 10.

morbum in inteſtinis hæſiſſe videntur, & ſæpe deſidendi cupiditate noxam augent (*a*). Utique raro ab exulceratione is morbus eſt, neque ei frequenter ulcera ſuperveniunt (*b*).

At corpus extenuat dejectio, & paucis horis plenus habitus cholera ſubitiſque alvi profluviis collabaſcit, tumidæque venæ ſubſident, adeo ut armillæ cum annulis laxius hæreant, & torminibus æger ſupra modum emacietur. Proinde alvus, ſi vehementius fluit, hominem infirmat, & ſi conquieſcere eum in cubili non patitur, continua vigilia premit. Interdum etiam, ſi immodice fluit, anima deficere poteſt. Purgationes quoque, ubi frequentes ſunt, periculum afferunt: aſſueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit. Nonnunquam autem, ubi tormina urgent, poſt potionem urina intercipitur, aut difficulter redditur, quod evenit, quia tunc liquor omnis non in veſicam, ſed in inteſtina deſcendit, vel ob conſortium colli veſicæ cum inteſtino recto. (*c*) Nervus enim, quem iſciaticum appellant, podicem, partes obſcœnas, & quæ in pelvi poſita ſunt, magnis ramis proſpicit. (*d*)

Ubi vero liquida deſcendunt, reliqua craſſeſcunt: eoque ſæpe aphthæ ſubſequuntur, puſtulæve atque inflammationes pervagantur, modo per totum cor-

(*a*) Pringle l. c. p. 228. (*b*) vid. J. J. Wepfer. l. c. Pringle l. c. p. 217. (*c*) Hipp. l. 2. prædict. c. 13. ed. Mack. t. 1. p. 135. Degner de dyſenter. p. 17. 137. comm. litt. Norinberg. ann. 1733. p. 45. & 1735. p. 215. (*d*) A. Monro anat. nervor. contract.

corpus, modo in parte: ac rubores, quæ aut ad naſum aut ad oculos perveniunt, jam in longinquum ac cum periculo ventrem liquidum eſſe, ſignificant. Ἐξανθήματα nigra, livida, Indis pernicioſa erant. (*a*) In caſtris quoque Hungariæ, ubi tormina vetera eſſe cœperunt, puſtulæ tandem rubræ, milii inſtar, copioſe prodibant. (*b*) Et Neomagenſes, ejuſmodi caſu, interdum puſtulis variorum colorum, quæ etiam in pus convertebantur, rapi ſolebant: nonnunquam ſed raro iisdem aphthæ accedebant. (*c*)

At ubi pedes tument & longæ dejectiones ſunt, aut dolor in imo ventre aut coxis eſt, aqua inter cutim inſtat, ſiquidem, coctis humoribus excretis, cruda, aquoſa, quæ corpus implent, deſiderat. Eandem ob cauſam frequenti purgationi vitium, cui λευκοφλεγματίας nomen eſt, ſupervenit; quod iterum medicamentis alvum molientibus diſcutitur.

Sed nares acutæ, collapſa tempora, oculi concavi, frigidæ languidæque aures & imis partibus leniter verſæ, cutis circa frontem dura & intenta, color aut niger aut perpallidus, multo magis in acuto morbo, ad ultima jam ventum eſſe, teſtantur, ſi ita hæc ſunt, ut neque vigilia præceſſerit, neque ventris reſolutio, neque inedia. Ex quibus cauſis interdum hæc ſpecies oritur, ſed uno die finitur. Itaque diutius durans mortis index eſt.

(*a*) Bontius med. Indor. p. 106. (*b*) Commerc. litter. Norimb. ann 1733. p. 44. (*c*) Degner. l. c. p. 17.

eſt. Si vero in morbo vetere jam talis eſt, in propinquo mors eſt, magiſque, ſi præter hæc. oculi quoque lumen refugiunt, & illachrymant, quæque in iis alba eſſe debent, rubeſcunt, atque in iiſdem venulæ pallent, pituitaque in iis innatans noviſſime angulis inhæreſcit, alterque ex his minor eſt, iique aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt, perque ſomnum palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens alvus expreſſit, eædemque palpebræ pallent, & idem pallor labra & nares decolorat, eademque labra & nares oculique, & palpebræ & ſupercilia aliquave ex his pervertuntur, iſque propter imbecillitatem jam non audit, aut non videt.

## CAPUT XVIII.

*Quomodo varia alvi profluvia curari debeant.*

Prævifis omnibus, quæ pertinent ad varia alvi profluvia, ad ſingulorum curationes veniam. Sed antequam dico, quo modo hæc mala tollantur, non alienum videtur obſervationes neceſſarias exponere, quibus quis in torminibus contagioſis utatur adhuc integer, cum tamen ſecurus eſſe non poſſit. Tum igitur oportet acetum ſalemve prunis inſpergere, putridum aërem corrigere, tonitrubus nitro aut pulvere pyrio excitatis. (*a*) Ubi id non

(*a*) Boerhave conſultat. circa dyſenter. caſtrenſ. vid. Diemerbroeck de peſte l. 2. c. 5. v. Swieten comm. t. 2. p. 123.

non juvat, iiſdem remediis præſervari oportet, quibus morbus, ſi jam præſens eſt, curatur (*a*) &, ut in omni peſtilentia, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, multoque magis ſe continere. Si quæ neceſſitas aegros viſendi eſt, tum neque jejuno ambulandum eſt, neque ſaliva deglutienda eſt. Optimum vero eſt, hac lue infectos & omnes, qui cum illis commercium habent, fugere, maximeque latrinas & ſellas vitare, in quibus ii deſiderunt, & omnem fœditatem odoris, quantum fieri poteſt, cavere. (*b*) Fere etiam iſta obſervatio, ubi milites ejuſmodi morbis implicantur, adhibenda eſt. Satius eſt enim ægros, in ædificio quam maxime alto & ſpatioſo, modico frigori exponere, quam humido & corrupto aëre præcipitare (*c*).

Ut his autem alvi profluvia, quæ contagio nocent, arceantur & levantur, ſic, ſi quid acre in ſtomacho aut in ipſo ſanguine hærens dejectiones excitat, leniri & corrigi debet. Sed cum veneni etiam plures cauſæ eſſe poſſint, quæ ſæpe latent, aquam puram ſanguine ſalubri calidiorem paulo, copioſe, diu, ſubito offerre quam maxime expedit. Ea enim quævis acria diluit, atque eorum corpus nocendi vim infringit, eſtque quaſi commune auxilium, ſolum ob id, quod vulgo notum eſt, & nullius pretii vituperandum. Igitur in torminibus potui, ſi febricula eſt, aqua pura

(*a*) Degner. de dyſenter. p. 163. (*b*) Degner. ib. p. 164. & ſeq. (*c*) Pringle l. c. p. 242.

pura calida dari debet; nullumque morbum mollire magis convenit. Utique haud parum pauperculos, qui ad fontem quendam ſacrum & proprium, ſi Diis placet, adverſus ea mala confugerunt, juvit ſimplex aqua fontana, melius aquæ vitæ nomine digna, quam ardens ſpiritus vini, quo quaſi inſigni remedio nimium ſæpe popellus abuti conſuevit. Nonnunquam quoque ſola aqua cum pauco ſucco papaveris miſta torminum curam abſolvit, bene purgatis prius inteſtinis (*a*). Frigidam autem aſſidue potionem eſſe debere, Aſclepiades affirmavit, & quidem quam frigidiſſimam. Atque contra tormina, ſi pluribus diebus nihil remedia juverunt vetuſque jam vitium eſt, aquæ bene frigidæ potio aſſumta initium ſecundæ valetudinis facit. Calidus juvenis, cum media æſtate bilioſis dejectionibus tentaretur, ubi ob vehementem ſitim, abſque medicorum conſilio, multam frigidam ingeſſit, repente, alvo adſtricta, ſanatus fuit. (*b*) Paulus Ægineta, ſi multa caloris intemperies eſſet, præter potiones frigidas, eſui etiam intybum crudum dari, concedebat. (*c*) Moderatius vero, inter initia, egelidam, ubi autem viſcera elota ſunt, ut inteſtina firmentur, frigidam ſuadet Huxhamus. (*d*) Ego experimentis quemque in ſe credere debere exiſtimo, calida potius an frigida utatur: quem enim frequenter cita alvus exercet,

(*a*) Huxham. obſ. de aer. t. 2. p. 107. 108. (*b*) Amatus Luſitan. cent. 2. curat. med. 46. p. 177. vid. Diemerbroeck. obſ. med. 29. p. 30. (*c*) l. 3. c. 42. (*d*) obſ. de aer. t. 2. p. 107. 108.

cet, ſi frigidæ potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potiſſimum eſt. Quas in cholera quoque Aretæus Cappadox laudat, ad ventris adſtrictionem. (*a*) Et id ſæpe commode reſpondere, experimenta teſtantur. Viro militari, qui irato animo muſtum ingurgitaverat, bilis ſupra infraque erupit, neque ullis remediis aut vomitus, aut dejectio ſupprimi potuit. Tandem, poſt quartum diem, æger, qua ſitim pelleret, aquam frigidam petiit: eaque ſubinde hauſta, gravis morbi periculum evaſit. (*b*) Quod ſi vero vehementer, & vomitus & dejectio & ſitis vexant, & adhuc ſubcruda ſunt, quæ vomuntur, nondum aqua frigida, ſed potius egelida danda eſt. At cum diſcuſſa cruditas eſt, tum confugiendum eſt ad vinum cum aqua frigida mixtum.

At tormina ſæpe populum, cum ſiti, anxietate, vomitu, & ciborum faſtidio invadere conſueverunt. (*c*) In hoc caſu, ſiquidem hæc putridi morbi ſigna ſunt, aquæ acida vel aceſcentia addere expedit. Ediſſe etiam cibos boni ſucci, quique minus facile corrumpuntur, prodeſt.

Lac vero, quibus in acutis febribus bilioſæ dejectiones ſunt, minus convenire credidit Galenus Hippocratem ſecutus. (*d*) Celſus tamen, ubi juxta illum enumerat morbos, in quibus lac pro veneno eſt, bilioſæ dejectionis non meminit. Ipſe quo-

(*a*) L. 2. de curat. morb acutor. c. 4. (*b*) Hoffmam med. rat. t. 6. p. 606. (*c*) Degner. l. c. p. 15. Huxham. l. c. p. 99. Pringle l. c. p. 217. (*d*) comm. in. aph. 5. 64. Charter t. 9. 238.

quoque Hippocrates alibi auctor eſt, ut alvus lacte cocto abluatur. (*a*) Atque in torminibus, ſi vetuſtior morbus eſt, ex inferioribus partibus lac infundere oportet, cui prius ſilices igniti vel laminæ ferreæ candentes adjiciuntur, ut ſerum abſumitur. Quin etiam, ſub eodem, potio ex lacte recte aſſumitur. (*b*) Recentiores, lac in omni ventris fluore offerunt. (*c*)

Sed magis proprium torminum medicamentum lactis ſerum eſt: eoque ſolo, quod multi pro arcano habent, hi morbi ſæpe curantur. Id autem, & ſorberi, & in alvum immitti debet. (*d*) Sydenhamus potui ſerum frigidum dedit & tepido alvum elui juſſit. (*e*) Et, cum anno 1726 tormina ſævirent, ruſtici, qui non facile medicamentis pugnant, ſolo ſero lactis & lacte ebutyrato morbum in omni decurſu præ aliis feliciter ſuperarunt. (*f*) Eadem quoque, ut & ſerum lactis ebutyratum adverſus contagium, quod anno 1736. in agro Neomagenſi graſſabatur, ſatis profecerunt. (*g*) Aqua etiam, in qua oryza cocta eſt, quotidie aſſumpta tormina Indorum levavit (*h*).

Neque alienum eſt, potiones aſſumere ex oleo & quæcunque glutinoſa ſunt, quia & acidum in ſe ha-

(*a*) De affection. c. 7. ed. Mack. t. 2. p. 311. (*b*) Hipp. l. 7. epid. Charter. t. 9 p. 554. 555. Galen. de aliment facultat. l. 3. c. 15. t. 6 p. 380. de ſimpl. med. facultat. l. 10. t. 13. p. 280. Paulus Æg. l. 3. c. 42. (*c*) Hildan. de dyſenter. p. 78. Sydenham. p. 102. (*d*) Herman. van der Heyden diſcours med. 1. & 2. Bagliv. prax. l. 6. c. 11. §. 1. p. 224. l. 1. p. 109. (*e*) p. 187. 602. (*f*) Hoffman. med. rat. t. 4. part. 3. (*g*) Degner l. c. p. 140. 153. (*h*) Bont. de med. Indor. p. 64.

habent, & acres humores leniunt. Valenſque eſt adverſus hunc affectum oleum olivarum (*a*); ſin minus, ſaltem id, quod ex amygdalis aut lini ſeminibus premitur, dolores levat. (*b*) Degnerus decocto Radicis *Salab* quam leniſſimo ſic utendum memoriæ prodidit. (*c*) Huxhamus autem, oleoſas & gelatinoſas dari potiones non niſi raro debere, dixit; & ſi lenimen deraſa inteſtina deſiderant, id agendum exiſtimat, decocto albo vel emulſione amygdalarum dulcium, hiſque adjiciendum eſſe gummi Arabicum & ex cydoniorum ſeminibus mucilaginem. (*d*) Ergo pinguibus quoque acida utiliter adduntur. Se ipſum a torminibus liberavit ruſticus ſmegmate & aceto. (*e*) Et dux Hungarorum lactis florem acetumque ſimul per binas fiſtulas ex voto ſuxiſſe dicitur. (*f*) Dulaeus etiam ſuccum limoniorum cum oleo miſcuit hiſque centenos ſanavit. (*g*)

Maxime vero putredinem continet ſpiritus vitrioli, & ſi intus corrupta materies latet, reliquis acidis præferri meretur. Boerhaave aquam puram, fumo accenſi ſulphuris imbutam, torminoſis militibus bibendam conſulit. (*h*) Spiritus autem ſulphuris per campanam ejuſdem indolis eſt, ac vitrioli, atque ab eo vix differt. Sed quantum is ad putridos morbos valeat, expertus eſt Syden-

(*a*) Diemerbroeck obſ. 29. (*b*) Degner. l. c. p. 124. (*c*) Ib. p. 126. (*d*) obſ. de aer. t. 2. p. 108. (*e*) miſcell. n. c. dec. 3. ann. 1. p. 90. (*f*) Pringle l. c. p. 241. (*g*) Encyclop. med. l. 3. c. 5. §. 20. p. 321. (*h*) conſult. ab Haller edit.

denhamus: feliciter enim in peſſimis variolis, cum reliqua parum proficerent, aliquot ejus guttis ſolitas potiones aſperſit. (*a*) At ſi bilis acris abundat, ſi cum dolore cruor ſincerus multusque fertur, commode quoque facit acida tinctura, quæ ex roſis rubris elicitur. (*b*)

Similiter, cum nimia purgatio a medicamentis incidit, tum plerumque confugiendum eſt ad acida: nam & ii, quos acidum male habet, plurimis purgantibus non moventur, & pleraque, quæ aceto reſperguntur, minus valentia fiunt. Ubi ſcammoneum ſulphure accenſo fumigatur,' vis purgans multum infringitur. Ellebori quoque radix & poma colocynthiaca ex aceto cocta miteſcunt; ſudorque elicitur Euphorbio, cui limonum ſuccus aut vitrioli ſpiritus ſit adjectus. (*c*) Horum autem cum acidis miſturam Helmontius non ſine cauſa ſuſtulit, & cum medicamina hoc modo genium & agendi vim perdant, non immerito ſcammonei correctionem per acida *caſtrationem* vocavit (*d*). Verum ut illa in pleriſque medicamentis proprias facultates adimunt, ſic nonnullis vires tribuunt; quale eſt id, quod hydragogum alvinum Boyleus appellat, in quo nitri acidum cum metallo coiit. (*e*) Itaque, ſi ex eo fuſior dejectio fit, alcalicis impetus ventris prohiberi debet.

Sed,

(*a*) Sydenh. p. 237. 238. vid. ib. p. 383. 384. (*b*) obſ. de aer. t. 2 p. 100. ejus deſcriptionem vid. in pharm. Lond. p. 81. Edinburg. p. 58. medulla medicinæ univerſæ p. 9. (*c*) Pechlin. de purg c. 17. & c. 21. (*d*) de febrib. cap. 5. (*e*) vid. Boerh. chem. proc. 183.

Sed, cum vomitus utilis ſit, ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum ſunt; idemque proſit ei, cui pectus æſtuat & frequens ſaliva vel nauſea eſt, aut ſonant aures, aut madent oculi, aut os amarum eſt; ſimiliterque ei, qui vel cœlum, vel locum mutat, hisque, ſi per plures dies non vomuerunt, dolor præcordia infeſtat, is quoque, ſi ſub torminibus ea ſigna adſunt, a medicamento petendus eſt. Quieſcere etiam his, qui cum alvo bilioſa ſimul & vomitu & ſpirandi difficultate vexantur, mulſam bibere & vomere, optimum eſt. (*a*) Neque alienum eſt, ſi pluribus diebus fluit alvus, quamvis id, quod corruptum eſt, jam expulſum ſit, contra, quo inteſtinorum motus invertatur, vomitu niti. Nam longas dejectiones ſupprimit vomitus. Idque exemplum eſt eorum, quæ natura recte facit, quam medicum imitari oportet (*b*). Igitur ſæpe neceſſarius eſt, in lævitate inteſtinorum æque ac in torminibus vomitus, ut Hippocrati viſum eſt, etiam albo veratro, ſi cetera parum proficiunt, evocatus (*c*); at ſatius radice ipecacuanhæ, cujus uſum a barbaris edoctus Piſo (cum pleraque, quæ antiqui medici præceperunt, ſtomachum infeſtent) jure magna laude extollit. Vix enim apud Braſilienſes quidquam adverſus morbos, qui ex longa obſtructione

(*a*) Hipp. de victu acutor. ed. Mack. t. 2. p. 132. (*b*) Id. aph. 6. 15. de affect. c. 7. t. 2. p. 311. Galen. comm. in aphor. citat. t. 9. p. 256. (*c*) Coac. 310. ed. Mack. t. 1. p. 165. de affect. c. 7. ed. Mack. t. 2. p. 312. 313. de victu acutor. ib. p. 132.

ne fiunt, præcipueque in ventris ſluore, majus momentum habet, & tutius dari poteſt. (*a*) Hoc quoque in variis regionibus torminum ſummum auxilium fuit; (*b*) quæ eo ſæpe, intra unius diei ſpatium, incantamenti inſtar, finiri, vel certe levari ſolent. (*c*) Et id, quovis morbi tempore, quandocunque opus erat, aſſumptum, bis vel ter ſine ulla ſtomachi noxa, quicquid corruptum erat, eduxit. (*d*) Licetque etiam, inter initia, delicatulis, gravidis, lactantibus, & qui ubera ducunt, radicem offerre. (*e*) Eam autem bene contritam, drachmæ ponderis, per ſe, abunde eſt ſumpſiſſe, vel binarum in vini unciis quatuor fuſam aut cum aqua coctam. Braſilienſes dilutam malunt, ejuſque virtutem una nocte, ubi ſub dio macerata vel decocta eſt, liquoribus ſatis impertiunt: ac deinde id, quod reliquum eſt, ſive caput mortuum, iterum ſimili modo ex aqua coctum dant, quod minus dejectiones & vomitus ciere videtur, ſed magis adſtringere; ſic ut radix hæc, quam religioſe ſervant, non ſolum corruptam materiem educat, verum etiam ſtringendo inteſtina confirmet. (*f*) Idemque etiam tertia decoctione, quam imbecillus com-

(*a*) de med. Braſil. p. 101. (*b*) vid. Wepſer. diſſert. de dyſenter. p. 45. miſcell. n. c. dec. 2. ann. 10. p. 210. act. Berolin. d. 1. vol. 2. p. 25. vol. 4. p. 31. vol. 6. p 41. 43. Hoffmann. diſſert. de prudent. medicamentor. continuat. §. 11. 12. medic. eſſ. Edenb. t. 4. part. 2. t. 5. art. 2. Degner. l. c. p. 99. 100. Lanciſ. de noxiis palud. effluv. p. 283. commerc. litt. 1733. p. 44 1735. p. 221. Huxham. obſ. de aer. t. 2. p. 99. (*c*) Degner. l. c. p. 101. (*d*) Ib. p. 102. (*e*) Ibid. (*f*) Piſo l. c. p. 102.

commodius fert, magis adhuc præſtat (*a*). Attamen, ſine coctione, noſtros contuſa radix a ſcrupulo ſemis ad dimidiam drachmam ſumpta, ſatis adjuvare ſolet: datur vero mane jejunis ex vino vel juſculo, etiam, ſi manſerit morbus, in tertiam vicem. (*b*) Verum, ut grana decem ſæpe pleniorem vomitum eliciunt, (*c*) ſic a pondere ſatis gravi, aliquando parum per os aut infra redditur. Tum vero poſt horam incaleſcere incipit æger & venis concitatis tandem ſudor ſupra conſuetudinem prorumpit. Ob quam cauſam Freindius ejus in torminibus virtutem ceteris vomendi inſtrumentis longe antecellere putavit. (*d*) Quo vero magis recens eſt, eo fortius agit. (*e*) Idque perquam tenue eſt, quod vomitum movet: nam ſi pulvis ejus per annum aeri exponitur, vomitum ciendi vires multum perdit. (*f*) Piſo ſiccam radicem pluribus annis integram manere teſtatur. (*g*) Tumque minus ad vomitum ſed non ad ſudores efficacem dicunt. (*h*) Quidam etiam, ubi corpus inde ſupra & infra bene purgatum eſt, aliquot ejus grana, quibus nihil moveri, ſed inteſtina tantum conſtringi & quaſi muco obduci poſſint, quotidie per vices exhibent. (*i*) Helvetius autem, qui uſum radicis deperditum, liberalitate Ludovici Regis, quem magnum cognominant,

(*a*) Ib. p. 28. (*b*) Geoffroy m. m. t. 2. p. 54. (*c*) Ibid. (*d*) comm. 4. de febrib. (*e*) Marcgraaff hiſt. rer. Braſil. p. 17. (*f*) Hoffmann. diſſert. de cauto vomitorior. uſu obſ. 1. (*g*) l. c. p. 102. (*h*) Geoffroy l. c. p. 92. (*i*) Id. ibid. p. 94.

nant, denuo Europæos docuit, nullas in ea vires ſingulares, uti Piſoni apud Indos viſum erat, ad ſudorem movendum vel adverſus venena detexit: ſed ſtomachum inde tantum & infimum ventrem a bile acri, qua tormina plerumque oriuntur, purgari (*a*). Idemque, ſi radix aſſumi nequit, ex inferioribus partibus eam infundi curavit, quod ſæpius in torminibus reſpondebat. (*b*)

Eſt etiam nuper medicamentum ejus rei cauſa adhibitum, quod vitrum antimonii ceratum nominatur. Id anno 1734. Edenburgi, in torminibus eorum, quibus ſolita medendi via parum juvit, plurimum profuiſſe dicitur (*c*) & Pringlius proprium adverſus tormina auxilium multorum experientia cognitum eſſe, proponit. (*d*) Ipſe tamen militibus grana quinque radicis ipecacuanhæ bis terve alternis diebus cum uno alterove tartari; quod vomitus cauſa conficitur, dari maluit. Commodeque tantummodo, ſi nulla alia cura reſpondit, ad id confugit. (*e*) Similiterque Cleghorn in torminibus, quæ inſulam Minorcam infeſtarunt, radicem ipecacuanhæ anteponendam cenſuit: quoniam ea tutius purgat, & hoc, modo nullas profuſiones, modo ingentes tumultus excitat: (*f*) quamvis, ſi nimia neceſſitas urſit, id adhibuiſſe non inutile fuerit. (*g*) Du Hamelius vero, cum tor-

(*a*) Traité des maladies p. 249. 250. 252. (*b*) Ib. p. 163. 202. (*c*) Medic. eſſ. t. 4. part. 11. (*d*) Ib. t. 5. part. 15. (*e*) Obſervat. on the diſeas. of the army p. 232. 233. 234. (*f*) Obſervationes on the diſeaſes in Minorca Ao. 1744. to 1749. p. 230. confer. & Baron. not. ſur la chymie de Lemery 1756. (*g*) Ib.

tormina per populum, maximeque ruri in autumno pervagarentur, eaque nec radice ipecacuanhæ, nec cortice ſimarubæ, ſimilive medicamento cederent, primo ventrem ſupra & infra mollire quæſivit, deinde vitrum illud cum cera paratum conſervæ roſarum miſcuit & a granis ſex ad octo vel decem, alternis diebus, dedit, circa veſpertinum tempus, dolori per quietem ſuccurrens. Atque eo modo id medicamentum raro vomitus facere, frequenter dejectiones augere, vix unquam ultra quartam vicem repetendum eſſe, expertus eſt. (*a*) Et, ſi nimia purgatio mulieri nocet, aut ubi tormina inveteraverunt, multum quoque prodeſſe teſtatur. (*b*) Quod Edinburgi etiam inter menſes coërcentia annumerari ſolet. (*c*) Maximeque hoc conveniens eſſe dicitur & ad tormina, & ad omnem ventris fluxum, & ad lævitatem inteſtinorum, & ad febrim quartanam, & ſi menſtrua mulieri pallida vel immodice proveniunt. (*d*) At, ne id fallat, cura major adhibenda eſt. Geoffroy, uno tantum alterove grano vel ad ſummum tribus infantum & gravidarum curationem incepit; in firmis autem a quatuor vel quinque granis ſenſim ad octodecim adſcendit. Nonnunquam a 24 granis vix poſtridie duas tresve dejectiones ſequi deprehendit:

(*a*) Acad. Royal. des ſcienc. a. 1746. p. 81. dans les obſervat Botanico-Meteorologiques pour l'ann. 1745. mois de Septembre p. 84. d'octobre p. 85. (*b*) Ibid. mois d'aouſt. p. 83. (*c*) Pharmacopœa pauperum in uſum noſocom. Edenburg. p. 63. (*d*) Philoſoph. tranſact. vol. 47. No. 41. p. 273.

dit: quo tamen in caſu, ne in nimiam purgationem incidant, idem non niſi per longiora intervalla dare veritus fuit. Sed cum inter mulieres, quibus menſtrua ſupra modum fluebant, quædam in utero conceperant, per hoc gravidas etiam ſine noxa ſanari, fortuito didicit: Ideoque tenellis quoque ſuccurri poſſe, putavit; ſemper autem diligenter medicamenti vim explorare annifus eſt. Si id vomitus aut dejectiones ſatis ciebat, proxima vice, copiam ejus non augere, interdum etiam minuere, conſueverat. Si nauſeam tantummodo & craſſam pituitam movebat, dimidium aut unum granum addere ſolitus erat. Si exigua portio prima vice aſſumta ingentes dejectiones excitabat, eam ob vires ægri imbecillas, poſt alterum tertiumve diem, demum repetiit; quo interpoſito tempore, quid effecerat, & melius & certius cognoſci poſſet. Si vomitus inſequebatur, poſt eum, aquam tepidam ſubinde bibendam dedit. Quod ſi vero tormina excruciabant venterque intentus erat & calebat, ſemper prius lenibus medicamentis & lotione dolorem levare debuit: ſed parum referre, utrum cruenta deſcenderent, nec ne, morbusve ſit recens, an vetuſtior, aut cum febre, fereque omnes ſervari, comperit: & febrim quoque quartanam quæ nullis remediis diſcuti poteſt, plerumque poſt tertium circuitum tolli, nec recidivam facere. Unum vero granum laborioſe contritum magis efficax fuit, quam bina leviter contuſa. Atque acida, & quæ aceſcunt, omnino vitanda erant,

rant, ſiquidem ea vomendi vim periculoſe intendebant. (*a*) Confectio autem medicamenti, quod vitrum antimonii ceratum nominatur, habet ceræ flavæ dr. 1. vitri antimonii in pulverem triti unc. 1. Idque ceræ in vaſe ferreo liquatæ injectum & ſpatula ſubinde agitatum horam circiter ſemis ſupra modicum ignem tenetur. Quod in chartam effuſum, ubi refrixit, conteritur. (*b*) Vixque ultra decem grana dari debet. (*c*) Geoffroy etiam, vitrum antimonii ſpiritui vini in mortario miſtum ſimilem vim habere, oſtendit, & tormina æque tuto ſanare, in quibuſdam quoque abſque ulla profuſione aut gravitatis ſenſu juxta ſtomachum; quamvis a binis adſcendendo ad octo grana detur: Ceramque nihil aliud efficere, quam ut, diminuta virtute, dupla vel tripla ejus quantitas ſumi poſſit (*d*). Neque hoc remedium effectu diſpar videtur ipecacuanhæ. (*e*)

Quicquid ſit, Boerhaave milites, cum in caſtris torminibus tentarentur, inter initia, vino tantum, quod vomitus cauſa parari ſolet, & cujus binas uncias dediſſe ſatis eſt, vomere voluit; nihilque præter hoc, antequam ſemel vomuerint, bibere: tum aquam tepidam ad uncias octo aſſumere & poſt vomitum ſimilem hauſtum toties, quoties expellitur, repetere. Dein potui ipſis vini uncias quatuor dari & poſt horam, ad tumultus ſopiendos, lacrymarum papaveris grana duo in aceti un-

(*a*) Philoſ tranſact. ib. (*b*) Pharmacop Edinburg. p. 187. (*c*) Tabula poſologica pharmacop pauperum Edinburg. p. 76. (*d*) Academ. Royal. des Sciences ann. 1745. p. 162. (*e*) Baron not. ſur la Chymie de Lemery p. 309.

unciam liquata. (*a*) Sed curioſe proſpiciendum eſt, ne papaver cito vomitus & dejectiones, quæ medicamentis fiunt, ſupprimat. Sæpe enim ex eo multa mala increſcunt, interdum ipſa vita periclitatur. Quidam, cum a ſex granis tartari aliquoties vomeret, neque æquo animo neceſſaria tormina ſuſtineret, ubi ventris profluvio corriperetur, ſumendo laudani liquidi guttas viginti, in exitum ſe præcipitavit (*b*).

Purgationes quoque in torminibus a putrida bile vel acri quavis materie orſis proſunt. Nam alvus plerumque ab his ſiccatur: eaque, cum ſæpe in hoc morbo pauca deſcendant, ſi ter aut quater ducitur, plus bilis, ſeri & pituitæ effundit, quam natura quindecim diebus depellere poteſt (*c*). Ergo, ſi parum per ſe venter excernit, aut ſi corruptum eſt, quod excernitur, dejectiones medicamentis, raraque ſed magna alvi ductione, moliendæ ſunt: præcipueque rheum, quod primum ab Alexandro Tralliano præceptum (*d*), a pluribus proprie ad omnem ventris fluxum valere dicitur, huc aptum eſt, quia humores potiſſimum bilioſos evocat & ſtomachum ſimul atque inteſtina leniter adſtringit. Id, cum in quovis fere profluvio contagioſo, tum in Neomagenſi adhibere, quam maxime neceſſarium fuit (*e*). Purgant etiam leniter corpus, atque viſcera quoque firmant, & torminoſa ventris profluvia coërcent glandes, quos

(*a*) Conſultat. de dyſenter. (*b*) medic. eſſ. Edinb. t. 4. part. 6. (*c*) Ballon. l. 2. conſ. 23. t. 3. p. 162. (*d*) Freind. hiſt. medicinæ. (*e*) Degner l. c. p. 105.

quos myrobalanos vocant: optimaque adverſus militum tormina potio fuit ex rheo & myrobalanis citrinis in aqua coctis (*a*). Quidam, vomitu peracto, alvum movent (*b*). Pringlius ſemper, quoties æger vomuerat, poſtero tertiove die rheum ad binos ſcrupulos aut drachmæ pondere cum pauxillo ſalis abſynthii dedit & ſi nihilominus tormina atque deſidendi cupiditas urgebant, iterum tertioque & quotidie paulum aliquid, habita ratione virium. Magis autem ex remiſſione doloris quam dejectionum cruentarum morbum levari collegit (*c*). Non alienum quoque eſt corruptam materiem ſupra & infra ſimul educere. Id faciunt rhei ſcrupulus unus, & jalappæ grana duodecim cum granis ſex radicis Braſilienſis miſta & cum ſyrupo aſſumta (*d*). Nunquam tamen medicamentum, quod vomitus cauſa ſumitur, ægris, qui ramice vexantur aut ſanguinis ſputo laborant, recte datur; ſatiusque eſt, quoties res coëgit, ad ea quæ alvum ducunt confugere (*e*). Utraque vero hæc auxilia vitare oportet, ubi ex corruptis viſceribus pus, vel ex cancro inteſtinorum putris ſanies peſſimique odoris deſcendit. Item, ubi dejectionibus inflammatio acceſſit, magisque etiam, ſi ſub ſingultu, nervorum diſtentione & delirio (quæ omnia inſtantis cancri notæ ſunt) ſubito nigra alvus profluxit. Fue-

(*a*) Vid. Geoffr. mat. med. t. 2. p. 331. Boerhav. mat. med. p. 183. conſultat. de dyſent. p. 84. (*b*) Huxham obſ. de aer. t. 2. p. 99. (*c*) l. c. p. 234 235. (*d*) Geoffroy l. c. t. 2. p. 95. 129. (*e*) commerc. litterar. 1735. p. 222.

Fueruntque Londini torminum genera, quibus neque alvi purgatio, neque vomitus, neque ſanguinis detractio, convenire viſa ſunt. (*a*)

Præter hæc, in hoc genere morborum, medicamenta recte in alvum immittuutur: nam ſi purgationes ſtomacho ægri alienæ ſunt, eas ex inferiori parte infundere oportet, quadrupla circiter portione. Fereque ſi acre offendit, id lotionibus corrigendum aut educendum eſt, cum juxta ſedem doloroſæ ſuppurationes alvum turbent; (*b*) & a pure vel acri materie, non ſecus ac a glandibus, tum mejendi, tum dejiciendi cupiditas oriatur, illata vi motui inteſtinorum. Ideoque in torminibus putridis ſerum lactis quam optime infunditur aut aqua, in qua hordeum decoctum eſt, aceto adjecto. Prodeſt etiam nudas papillas nervorum fovere pinguibus & farinoſis, ut dolor levetur & ne durum ſtercus diutius in inteſtinis hæreat, cujus deſidendi cupiditate interdum dejectiones, quæ jam deſinere cœperunt, revertuntur. (*c*) Celſus, ſi vetuſtior morbus eſt, ex inferioribus partibus tepidam infundendam eſſe, dixit, vel ptiſanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam cervinam, vel oleum, vel cum roſa butyrum, vel cum eadem album crudum ex ovis, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit, vel ſi ſomnus non accedit, vitellos cum aqua, in qua roſæ floris folia cocta ſint. Levant enim dolo-

(*a*) Willis pharm. rat. p. 45. vid. Helvet. trait. des maladies p 307 310. (*b*) Hipp. Coac. 630. (*c*) Pringle l. c. p. 239.

lorem hæc & mitiora ulcera efficiunt, maximeque utilia ſunt, ſi cibi quoque ſecutum faſtidium eſt. Themiſon muria dura quam aſperrima ſic utendum memoriæ prodidit. Quod auxilium pluribus ſaluti, nonnullis exitio fuiſſe, Galenus teſtatur, (*a*) qui tragi ſucco vel hircino ſævo, vel ceraſto alvum mollire maluit. (*b*) Multi tamen ex antiquis in torminibus muriam infundunt. (*c*) Acris autem eſt marina aqua, vel alia ſale adjecto, hinc eo plus extrahit, ſed minus facile ſuſtinetur (*d*); aqua pura calida, quæ corruptæ materiæ vim miſcendo frangit atque inteſtina eluit, morbum ipſum mollit. Recentiores ad ulcera quaſi digerenda therebinthinam, ne glutine ſuo fiſtulam obſtruat, ovi vitello bene contritam & cum lacte miſtam utiliter injiciunt, ſic ut hujus ſint drachmæ ſex ad illius unc. VIII. vel X. (*e*) Convenit etiam quoties deſedit, ſi neceſſitas urget, ſubluere aqua calida, in qua decoctæ verbenæ ſint, medicamentiſque eis, quæ adſtringunt alvum, & quæ ſomno dolorem levant. Sydenhamus, ubi ter corpus purgaverat ex inferioribus partibus, theriacæ Andromachi ſesquidrachmam in lactis vaccini ſelibra liquatam indere ſolitus erat. (*f*)

Videndum eſt etiam, num dejectiones cum vel ſine

(*a*) L. 12. method. medend. c. 1. Charter t. 10. p. 275. (*b*) Ib. p. 274. (*c*) Dioſcorid. l. 5. c. 87. Paulus Ægin. l. 3. c. 42. Aetius. tetr. 3. ſerm. 1. c. 45-49. (*d*) Hoffman med. rat. t. 3. p. 638. (*e*) Geoffroy mat. med. t. 2. p. 503. 504. Gaubius de methodo concinnand. formulas p. 418. 424. (*f*) p. 184. 602. Gaubius l. c. p. 425.

ſine febre ſint. (*a*) Interdum enim febriculas excitant. Neomagi torminibus modo febres vehementes aderant, modo perquam leves, ſic ut notari tempora eorum non poſſent. (*b*) Inteſtina tamen omnium, quos morbus interemit, cancer occupaverat. (*c*) Atque in inſula Minorca modo acutis morbis ſimiles acceſſiones eſſe modo vehementi dolore ſed ſine febre inteſtina torqueri videbantur, & ſemper, quomodocunque morbus invaſit, inflammatio ſupervenit. (*d*) Tum vero auxilium ſæpe eſt, quod alias vires conſumit, in ſanguinis detractione. Dolor deinde, niſi aliquid prohibet, papavere levandus eſt. J. C. Claudinus plures tempore, quo tormina populariter vagabantur, vena inciſa, ad ſanitatem perduxit. (*e*) Sæpe etiam Foreſto per dimidium aevum & Donato viginti quinque annis, quibus medicinam fecerunt, id commode ceſſit. (*f*) Sydenhamus, tormina, ac ſi febres eſſent quibus dejectiones accedebant, conſideravit, (*g*) protinuſque ubi iſta cœperunt, ſanguinem miſit. (*h*) Et quoniam ea, cum pulſu concitato, febrilis ardor antecederet, ſemperque febris ſive levior ſive vehementior adeſſet, Huxhamus tormina quoque pro malis, quæ febribus accedunt, habuit: adeoque incipiente morbo, ſanguinem plerumque detraxit, ne in in-

(*a*) Hippocr. l. 2. prædiction. c. 4. ed. Mack. t. 1. p. 123. c. 13. p. 135. (*b*) Degner. l. c. p. 16. 22. (*c*) Ib. p. 23 (*d*) Clighorn. l. c. p. 226 227. (*e*) De ingreſſu ad infirmos. l. 2. c. 2. p. 42. (*f*) Foreſt. l. 22. obſ. 6. Donat. ab Altomari de medend. human. corp. mal. c. 74. p. 487. 488. (*g*) p. 182. 601. (*h*) p. 183. 601.

inteſtinis orta gravior inflammatio, auctis doloribus, cancri metum incuteret. (*a*) Ergo, ſi ſanguinis impetus, vehementer urget, veluti in his, quibus rubet corpus, plenæque venæ tument, nullo modo melius ſuccurritur. Idque auxilium, ſi vires patiuntur, maxime fieri debet, ubi ſolita ſanguinis purgatio non provenit. Mittendus vero is eſt, neque nimium, neque coacervatim, ſcalpello leviter demiſſo; non enim ob copiam ſui detrahitur, ſed ut materiæ curſus quaſi per vires avertatur. Paucus etiam ſanguis ex vena ſenſim prorumpens, inflammationem mitigat, cruorque ex inteſtinis manare deſinit, alio dato itinere. (*b*) Eaque miſſio ſanguinis, niſi is craſſus eſt & rurſus febris accenditur, repeti non debet, ne ex corrupto malo vires deficiant. (*c*) At Trallianus, qui papavere ſæpe a medicis in initio torminum abuti conqueſtus eſt (*d*), ſi febris adeſt & morbi ratio patitur, non minus duabus heminis detrahi voluit. (*e*) Neque primis tantum diebus, torminoſi detractionem ejuſmodi ſuſtinent. Intereſt enim, non quod tempus ſit, ſed quis genius morbi, & quæ vires aegri ſint; adeo ut Riverius poſt octiduum in quadam muliere, (*f*) & in alia decimo octavo demum die ſanguinem mittere non ſit veritus (*g*). Quin etiam fæmina per tres annos torminibus implicita, ubi nullum profuerat aliud auxi-

(*a*) Obſ. de aer. t. 2. p. 98. 99. (*b*) Aetius tetrab. 3. ſerm. 1. c. 45. vid. Hoffmann. med. rat. t. 4. part. 1. p. 545. (*c*) Pringle l. c. p. 231. (*d*) l. 3. c. 21. (*e*) Ibid. (*f*) Cent. 2. obſ. 57. (*g*) Ibid. obſ. 44.

auxilium, repetita ſanguinis miſſione, curata eſt. (*a*) Commodeque Huxhamus dixit, cum tormina, quæ populum prehendunt, raro ſine quadam inflammatione inteſtinorum ſint, omniſque inflammatio ſanguinis detractionem requirat, ad vires, ætatem, pulſus, conſtitutionem & anni & ipſius ægri, attendendum eſſe. (*b*) Ideoque torminibus, quæ in hyemem & circa ver incidunt, hoc modo & rheo melius ſuccurritur, quam vomitu, ſtomacho non ita vitioſo (*c*) Maximeque ſemper morbi genus æſtimari debet. Sic in alvi profluvio, quod morbillos & laterum dolores ſequitur, ſanguinem mittere expedit. (*d*).

Si vero etiam medicamentis utendum eſt, ubi liquida alvus pluribus diebus neglecta curari difficilius poteſt, remedium, quandocunque fieri poteſt, malum punicum excavare, exemptiſque omnibus ſeminibus, membranas, quæ inter ea fuerunt, iterum conjicere, tum infundere cruda ova, rudiculaque miſcere, deinde malum ipſum ſuper prunam imponere, quod, dum humor intus eſt, non aduritur; ubi ſiccum eſſe cœpit, removere oportet, extractumque cochleari, quod intus eſt, edisſe. Edenda eſt pulticula etiam, cum qua paulum ex favo vetere coctum ſit. Et cera ex pomis toſtis aſſumpta in torminibus efficax eſt. Johannes de Luque, cum per tres menſes alvo cita excruciaretur neque ullo auxilio curari poſſet, ubi tandem, inſcio medico, authoritate vetulæ, pomum

(*a*) p. 189. (*b*) obſ. de aer. t. 2. p. 105. 106. (*c*) Pringle l. c. p. 235. (*d*) Sydenham. p. 589. 266.

mum cum cera toſtum aſſumſerat, convaluit. (*a*) Sic adoleſcens quoque tria poma Borsdorffiana, in quibus cera aſſata erat, devorando, ad ſanitatem pervenit, ventre ſe paulatim contrahente (*b*). Et cum mulierculæ in torminibus anni 1680 malum cotoneum excavaſſent idque cera vel alba vel citrina repletum atque indito operculo ſupra prunas, donec omnis cera liquata cum pomo in unitatem quandam coiret, poſitum, aegris dediſſent, dolor quievit, fluxusque deſiit. (*c*) Horſtius etiam pulverem ex cera cum gummi Arabico in pomo aſſato ſolutum multum valere dixit. (*d*) Eoque anno 1608, cum tormina graſſarentur, plures ſanavit. (*e*) Solenander, ſi diutius ventris fluxus remanebat, turturem exenteratam uncia ceræ novæ infarctam & poſtea ex aqua coctam vulgo, quod a medicamentis abhorret, edendam, juſque bibendum dedit. (*f*) Et ſæpe id auxilii in his morbis magnum remedium eſt. Peſtilens torminum genus, quod caſtra juxta Schenkii munimentum poſita pervagabatur, nullis remediis ceſſit, antequam medici, qui cum Gallorum exercitu ex Italia huc venerant, auxilium, quo poſtea plures ſanati fuerunt, reperiſſent. Purgabant autem prius aegros rhabarbaro; deinde lactis dulcis circa ſelibram cum ceræ minutim inciſæ drachma una vel altera decoquebant; idque lac calidum dabant;

(*a*) Valeriola obſ. med. l. 3. obſ. 4. (*b*) Miſcell. N. C. dec. 3. ann. 1. p. 241. (*c*) Ibid. dec. 2. ann. 7. p. 183. (*d*) l. 4. obſ. 20. t. 2. p. 179. (*e*) t. 3. p. 70. 226. (*f*) conſil. med. ſect. 3. conſ. 9. p. 338.

bant; & ſi nihilominus liquida alvus manebat, idem ſecunda & tertia vice repetebant; quo, cum plurimi in caſtris hoc morbo tentarentur, ceræ albæ copia in proximæ civitatis Emerici repoſitoriis brevi defecit. (*a*) Omnes etiam terræ pingues, Melitenſis, Armena, Lemnia, in quibus præſens adverſus venena remedium ponitur, quia corruptæ acidam materiem miſcent, putridis torminibus utiles ſunt. Aptiſſimaque eſt ea aqua, in qua Boli Armenæ quam plurimum miſtum eſt, potata. (*b*) Sed terreſtria, quæ cruditates acidas tollunt, infantibus, quos cita alvus exercet, dari debent.

Verum in lævitate inteſtinorum utique adhibere oportet comprimentia, quo facilius tenendi aliquid inteſtinis vis ſit. Ea autem, ſi quid corruptum intus remanet, in pejus id malum vertunt, ſed, ſi excuſſa cruditas eſt, niſi culpa vel ægri vel curantis, morbum ſuperant. Ergo, ut alvus ſupprimatur, potio eſſe debet exigua, ſiquidem eo quoque modo vacua inteſtina contrahi poſſunt. Neque is, cum omnia ſolitis viis effluant, tortoris vicem exhibet, qui ægrum, quamvis liquidis dejectionibus exhauſtum ac ingenti ſiti preſſum, a potu abſtinet. Os etiam ejus elui poteſt, quamvis id tempus aptum potioni non eſt. Cibus autem convenit valens, frigidus, ſiccus, ſimplex ex oryza, hordeo, ſimilique, qui quam minime corrumpi poſſit, panis toſtus, caro aſſa, vinum auſterum, vel

(*a*) Diemerbroeck annot. in obſ. med. 28. p. 30. (*b*) v. Swieten. comm. t. 1. p. 128.

vel certe ſubauſterum, cui cortex granatorum vel cinnamonni, vel flores balauſtiorum ſint infuſa. Et tale vinum vel per ſe ſumi, vel ei panis toſtus, aut biſcoctus intingi poteſt. Variis etiam medicamentis feliciter medici utuntur, ut magis, quod omnia quæ reprimunt utilia ſint, appareat, quam quod quædam propriam facultatem habeant. Antiqui meſpila, quoniam valide adſtringunt, ventrem tenere affirmarunt (*a*) iisque immaturis diuturno fluore ægrum curavit Foreſtus (*b*). At Wepferus quoque liquidam alvum recte ſuppreſſit lacte, in quo rhu coriariorum & pulvis glandium decocta erant (*c*). Commendanturque ab aliis *querni* cortices in cereviſia decocti; (*d*) vel etiam *plantaginis* ſuccus (*e*). Cortex quoque, qui nuper innotuit, quem *ſimaroubam* vocant, id malum levare conſuevit (*f*). Atque etiam laudatur is, qui a frutice *coneſſi*, vel *cadagapola* detrahitur (*g*). Sed unusquisque ea, quæ promta & his morbis apta comperit, præcipue omnium hanc vim habere, ſibi perſuaſit. Oportet tamen proſpicere, ne his admotis vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur. Paulatim ergo firmari inteſtina debebunt, aliquibus quotidie adjectis. Pringlius, ubi a torminibus vires

(*a*) Hipp. de victu acutor. ed. Mack. t. 2. p. 132. Galen. de alimentor. facult. l. 2. c. 25. Charter. t. 6. p. 352. (*b*) L. 22. c. 1. (*c*) diſſertat. de dyſenter. p. 47. (*d*) Miſcell. N. C. dec. 3. ann. 1. p. 88. (*e*) Ibid. dec. 2. ann. 10. p. 227. (*f*) Geoffr. mat. med. t. 2. p. 211. Degner. l. c. p. 115. Werlhoff obſ. de febr. p. 100. (*g*) Geoffr. l. c. p. 208. medic. eſſ. Edinburg. t. 3. part. 4.

res deficere atque inteſtina relaxari cœperant, neque tamen ad ultima jam ventum eſſe ſigna oſtenderant, rheum & comprimentia inter ſe miſcuit, ne corrupta materies intus maneret, & ut inteſtina vires ſuas reciperent, vel ea, donec tormina & deſidendi cupiditates ſe remiſerant, alternis vicibus dedit (*a*). Idemque auctor quoque fuit, ut militibus, (cum poſt frigora cruditatesque dejectiones, quæ conquieverunt, etiamſi vix quidquam inutilis materiæ ſuperſit, ſæpe repetantur) hæc & quotidie & modice darentur; ejus aquæ, in qua calx liquata eſt, dupla portio lacti cocto miſta, aut paululum corticis Peruviani cum iis, quæ leniter reprimunt aut calefaciunt, aut etiam, ſi id ſine ſtomachi noxa fieri poterat, balſamus Locatelli, qui a cera præcipuam vim habet (*b*).

Alterum quoque ad omnes ſimiles affectus pertinet, & in hoc maxime ſervandum eſt, ut cum pleraque utilia inſuavia ſint, ea potiſſimum ex his dentur, quæ maxime æger volet. Deinde, ſi omnia iſta faſtidiet, ad excitandam cibi cupiditatem interponatur minus utile, ſed magis gratum. Quidam, cum halecem ſalitum, aceto inſperſo, comediſſet, a lævitate inteſtinorum liberatus eſt (*c*). Quidam, ſumta ingenti copia caſei, longa tormina evaſit (*d*). Cum vero ventrem nihil magis quam Venus adſtringit; eaque alvo liquida frigeſcit

(*a*) L. c. p. 238. (*b*) Ibid. p. 239. 240. (*c*) Tozzi oper. t. 1. p. 185. (*d*) Miscell. N. C. dec. 3. ann. 2. p. 333.

cit, ſiccaque lætatur, concubitum quoque inveteratum fluorem ſanaſſe obſervatio docuit (*a*). Veterinarius populari morbo graviter correptus noctu, erecta virga, fœminam ſibi proximam adiit; qua cum ubi leniter rem habuiſſet, ſanitatem conſecutus eſt (*b*).

Sudor autem his, qui ob ſuſceptum frigus ventris fluxu laborant, eliciendus eſt: nam dejectiones, orto ſudore, finiri; & ab æquali ciborum copia, otioſis, ſæpius ex conſuetudine alvum ferri, iis vero, qui ſe frequenter exercent, ſi ſani ſunt & victus rationem habent, parum ventrem reddere, ob validam perſpirationem, ſupra dictum eſt (*c*). Quam ob cauſam Riverius, cum in balneum tepidum iviſſet, facile ſe curare potuit (*d*). Ac in peſte quoque, ubi frequens vomendi cupiditas medicamenta expellit, ſolum integumentorum pondus, movendo ſudores, ventrem contrahere valet (*e*). Protinus igitur, febricitantem hominem multis veſtimentis operire, aut calidis remediis cruciare, maxime alienum eſt, ſiquidem ea, dum calorem ingentem ac ſudores excitant, ſimul etiam ventrem adſtringunt (*f*). Sed infirmis, quorum vaſa in meſenterio poſita nihil continent, ſummam cutim relaxari utile eſt, ut habitu corporis mutato,

(*a*) Vid Paul. Æginet. l. 1. c. 35. Aet. tetrab. 1. ſerm 3. c. 8. Bagliv. prax l 1. p. 108. (*b*) Amatus Luſitan. cent. 2. curat. 47. vid. & Hipp. l. 7. epid. Charter. t. 9. p. 601. Galen. l. 6. de loc. affect t. 7 p. 579. (*c*) Hipp. l. 2. prædict c. 4. ed. Mack. t. 1. p 123. (*d*) Cent. 2. obſ. 59. (*e*) ydenham. p. 125. 126. (*f*) Glaſſ. comm. 10. de febrib. p. 176.

